


Dr: Boegner.

HIERON. DAV. GAUBII

MEDICINÆ ET CHEMIÆ IN ACADEMIA BATAVA, QUÆ LEIDÆ EST, PROFESSORIS

SERMONES II. ACADEMICI

DE

REGIMINE MENTIS

QUOD MEDICORUM EST.

ACCESSIT

ABR. KAAU BOERHAAVE

SERMO ACADEMICUS

DE IIS, QUÆ

VIRUM MEDICUM

PERFICIUNT ET EXORNANT.

Editio tertia prioribus accuratior.



ARGENTORATI,

Ex Officina Libraria AMANDI KÖNIG.

MDCCLXXVI.

Cum permiſſu Superiorum.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

CELSISSIMO

ARAUSIONIS ET NASSAVIAE

PRINCIPI

GUILHELMO V.

HEREDITARIO

FOEDERATARUM BELGII REGIONUM GUBERNATORI,

ET

SUMMO TERRA MARIQUE IMPERATORI

ECT. ECT. ECT.

SERENISSIMO

PRINCIPI LUDOVICO

BRUNSVICENSIUM ET LUNEBURGENSIUM

DUCI,

SACRAE CAESAREAE MAJESTATIS

ET

SACRI ROMANI IMPERII

NEC NON

REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS

HUNGARIAE ET BOHEMIAE

UT ET

FOEDERATAE BELGARUM REIPUBLICAE

SUMMO CASTRORUM PRAEFECTO,

PRINCIPIS AURIACI

IN

IMPERIO COPIARUM TERRESTRIUM

VICES GERENTI,


ATQUE

TUTORI INCOMPARABILI

D. D.

HIERONYMUS DAVID GAUBIUS.

H. D.



H. D. GAUBII
DE
REGIMINE MENTIS QUOD MEDICORUM EST

SERMO I. ACADEMICUS. *



Etſi multae ſunt & multum inter ſe diverſae, quarum materies Homo eſt, Artes atque Scientiae; prout in alia atque alia Hominis parte, aut in eadem diverſo modo ac fine verſantur: habent tamen omnes & ſingulae commune quoddam vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur; ut parte ſui aliqua cohaereant, nec mutua ope ubique carere poſſint.

Etenim Humani Corporis membrorum elegantiſſima eſt in ſumma varietate con-

* *Habitus VIII. Febr. MDCCLXVII. cum Magiſtratu academico abiret.*

cinnitas, qua in unum omnia consentiunt. Animi etiam facultates; quanquam agendi ratione discrepant; ejusdem tamen generis sunt, atque ex se mutuo pendent. Ipsa denique Mens ac Corpus, res plurimorum judiciis natura dissimillimae, quando in unum coëunt Hominem, nexu tam arcto intimoque socientur, ut in sese invicem penetrasse, &, si Chemicorum more hic loqui licet, se mutuo veluti solvisse diceres: ita, dum vita viget, ubicunque Mens est, Corpus est; Mens, ubi Corpus; nec ulla fere Hominis particula indicari potest, in qua non una & Mentis & Corporis aliquid, atque adeo utriusque mixtura animadvertatur.

Ex quo, ut alia, quae inferri possent, praeteream, unum hoc evidentissime intelligi existimo, vix bene Animum regi, nisi & Corporis, quocum junctus est, ratio habeatur; & vicissim cum apposita eorum, quae ad hoc pertinent, curatione regimen illius implicitum esse ac cohaerere.

Itaque vetustis etiam temporibus, & ab ipsis adeo cum Philosophiae tum Medicinae incunabilis, hanc illius partem

habere ſolitam, praecipuoſque ex Sapientiae Profeſſoribus, Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum, medendi Scientia quoque peritos fuiſſe legimus: nec ea tantummode de cauſa, uti opinor, (*a*) quod Medicinam illi maxime requirerent, qui corporum ſuorum robora inquieta cogitatione nocturnaque vigilia minuiſſent; ſed ideo inprimis, quia perſpicaciſſimis iſtis Hominibus compertum eſſe debuit, ad Animi vigorem cum conſervandum, tum augendum, nihil plus conferre, quam ſanitatem, & Corpore labefactato vix fieri poſſe, ut non is una deficiat.

Nec enim profecto difficili opus erat aut laborioſa obſervatione ad cognoſcendum illud, cujus documenta quotidie inter mortales tam multa tamque indubia eduntur.

Quis, quaeſo, noſtrum non multoties in ſeſe expertus eſt, & ſatietatem, & famem, & protractas ultra modum vigilias, & ſomnos ſolito longiores, & vini potionem, & variam aëris temperaturam, & alia quamplurima etſi corporis tantum

(*a*) *A Corn. Cels. lib.* 1. *praefat.*

conditiones proxime mutant; rationis tamen atque intelligentiae vim eadem opera graviter adficere? An cuiquam ignotum esse potest, nasci hominibus perceptionum fallacias, imaginum delirationes, mentis alienationes, quarum sanatio, nisi Elleboro perficiatur, exquisitissimo etiam Logices apparatu frustra tentatur? Et si cui volupe est, quantum ebrietas, graviditas, atra bilis, aliique id genus corporei stimuli in mores hominum valeant, attentius contemplari; is ultro, opinor, confitebitur, moralem Animi facultatem haud minus, quam rationalem, sub Corporis potestate esse, atque non omnem intemperantiam, & libidinosam voluptatem, & avaritiam, & inhumanitatem, & impetum ad furta, & furorem ad homicidia, & saevitiem in propria viscera, adeo prorsus soli semper animo deberi, ut non quandoque ex bruto potius Corpore profluere, atque invitum quasi Animum in societatem sceleris ab illo pertrahi dicendum sit.

Verum longe evidentius etiam est, quod Mens in Corpus exercet, imperium, inque eo agnoscendo omnium fere Mortalium suffragia ita consentiunt, ut, qui

argumentis id affirmare ſuſcipiat, Soli mutuare velle lucem videri poſſit.

Quanquam enim, dum ſociale illud Vitae Humane foedus conſtat, re forſitan haud major eſt Mentis in Corpus, quam hujus in illam potentia; facit tamen, quae Menti adeſt, conſcientia efficacis ſuae voluntatis, promptique, quod Corpus ſanum praeſtat, obſequii, ut datum illi imperium, huic modo impoſitam eſſe ſervitutem facile opinemur. Et quidni tacitam quoque ſubeſſe arrogantiam fateamur, qua Mens, quod rationis participem ſemet prae Corpore agnoſcat, plus ſibi juris in hoc, quam huic in ſeſe, competere ſibi perſuadeat? Perinde quaſi rationis duntaxat ſit imperare. Verum qualiſcunque demum iſtius evidentiae cauſa fuerit, tanta profecto eſt in hac re, ut ſentire eam magis, quam credere videamur, atque in dubium vocare, ne dicam negare, vix niſi vi nobis quodammodo illata poſſimus.

Quodſi itaque, qui Mentes Hominum vera ſapientia ac virtute imbuere ſtudent, praeter cetera cogitare etiam debent de impedimentis aut adjumentis, quae varia Corporis conſtitutio adferre poteſt: haud

diſpar ratio exigit, ut illi quoqne, quorum officium eſt Corpus Humanum ad ſanitatem dirigere, quid Animi in illud poteſtas addere aut apponere ſuis conatibus valeat, diligenter conſiderent.

Etiamſi igitur quaeſtio de Facultatibus Mentis Humanae, harumque gubernatio ad Philoſophos unice proprieque pertinere videatur; animadvertitis tamen, A. O. O. H. partem ejus aliquam a foro Medico tam parum quoque alienam eſſe, ut cum negare quis poſſit, Medicis convenire, philoſophandum Medicis eſſe negare non poſſit.

Quae cum ita ſint, haud amplius dubito, H. O. O. H. materiem Vobis indicare, de qua, cum dura legis neceſſitas ita jubet, Sermonem hac hora habere decrevi. Dicam quippe de MENTIS REGIMINE, QUOD MEDICORUM EST.

De eo autem cum diu atque acriter a Medicis diſputatum ſit, nec una omnibus ſententia ſedeat; ut idcirco in diverſas etiam curandi vias proceſſerint: nolite metuere, ne prolixa argumentorum, quae in utramque partem proferuntur, expoſitione Vos obtundam! Eſt enim hujuſ-

modi dicendi genus non modo a moribus ſtudiiſque meis valde alienum; ſed ſentio etiam, nec dignitati hujus loci, nec, quem celebramus, diei ſolemnitati, nec denique veſtris omnium auribus ſatis accommodatum eſſe. Quapropter, abſque partium ſtudio, atque ſepoſitis contentionibus, ea tantum, quae in re ipſa ineſſe ſedula perveſtigatio docet, qua potero, cum ſimplicitate, tum brevitate, enarrabo. Quod dum facio, Veſtra, A. O. O. H. quam aliquoties in hoc loco expertus ſum, benevolentia atque favore homini in dicendo minime exercitato ut adeſſe velitis etiam atque etiam rogo.

Ut itaque, miſſis circuitionibus, inde proficiſcatur Oratio mea, unde omnis dicendorum ratio ducitur; admirabile illud connubium, quo Mens & Corpus in Homine juncta ſunt, ejuſque jura ac leges quemadmodum ſeſe habere obſorvatio fidem facit, primum ante oculos ponam. Etiamſi enim iſtius rei inquiſitionem Philoſophi ſibi vindicent, ſuisque ſcholis propriam eſſe velint; non vereor tamen pace ipſorum affirmare, ſi quid in his tenebris clare videant, vix niſi Medicis lumina praeferentibus id videre.

Quotiescunque autem varias loquendi formulas & comparationes, quae hominibus, cum de ista conjunctione sermocinantur, usitatae sunt, mecum recenseo; toties mirari satis non possum, ab iis etiam, qui ultra vulgus sapere volunt, istiusmodi frequenter usurpari, quae longe aliud exprimant, quam quod suus quemque animus in semet ipsum atque in corpus suum reflexus quotidie, nec obscure, edocere possit. Cui vero id mirum non videatur in ea maxime re, cujus notitia, nisi ex illis, quae persentiscimus, aliunde nulla nobis adlucet?

Videas nonnullos Corpus Humanum Mentis vocare Domicilium, sibique & aliis persuadere, sic eam in Corpore habitare & liberrime versari, & pro arbitrio omnia facere, ut domi quisque nostrum suae consuevit. Mirum vero domicilium! quod divisum cum habitatore suo imperium habet; a quo Sapientia Mentis aut stultitia pendet; quod destituere suum herum potest, at nisi demiserit, ab hoc vicissim deseri non potest.

Alii, justo etiam splendidiorem hunc titulum rati, Carcerem malunt aut Ergastulum dicere, cujus compagibus in-

clusus detentusque Animus servile jugum invite coacteque ferat. Verum nae hi sibi parum conscii sunt, quid sua in Corpore voluntate efficere Animus possit; nec quam vehementer illud amet, aut quanta id solicitudine curet, quotque & quam magnis ab eo vicissim adminiculis, & officiis, & ornamentis, quibus aliter aegerrime careret, continenter cumuletur, considerant.

Sunt etiam, quibus Officina Corpus est, multiplici organorum affabre factorum apparatu instructa; Magister officinae animus, idemque Architectus, ut a quo Corpus universum efformari, cunctasque ejus partes in motum cieri autumant: carere enim omni prorsus agendi facultate, atque ex se inertem esse corpoream molem, muta ejus instrumenta, nisi aliena vi agitentur, sua sponte nihil efficere; omnium itaque actionum Corporis Humani, etiam earum, quas voluntate regi non sentimus, unicum autorem Animum esse, cui soli, tanquam Deo in hac machina, cum fabricatio, tum omnis ejus motus debeatur. Diceres conscientiam ita opinantibus plane singularem contigisse, ut illa etiam ex sua vo-

luntate pendere animadvertant, quae ceteri homines extra ſuum arbitrium poſita eſſe experiuntur: quod cum parum credibile ſit, non igitur fidem merentur, niſi documenta protulerint, unde cognoſcere poſſint, ſe ſua voluntate aliquid agere, quod ſe non inſciis tantum, ſed invitis etiam, agitur.

Neque ſubſtitit hic fingendi licentia. Rariſſima ingenii ſubtilitate ab aliis excogitata eſt nova quaedam Contubernii forma, quae cum eludere poſſit inſuperabilem illam mutui commercii inter res tam diſſimiles difficultatem, multos Philoſophorum mirum in modum delectat. Fingite Vobis cogitatione A. O. O. H. duo Automata, ea lege inter ſe compoſita, ut, praeter habitationem, nihil commune habeant, nec alteri in alterum ulla poteſtas ſit conceſſa: in unoquoque autem vigeat ſuae naturae conveniens agendi virtus, quae definitam actionum aliarum ex aliis fluentium ſeriem certo ordine ac tempore ex ſe producat: detur praeterea inter utramque actionum ſeriem ſtata quaedam atque perpetua harmonia, ut, quae utrinque in idem tempus incidunt actiones, ſingulae unius ſeriei ſingulis

alterius congruant atque examuſſim reſpondeant: nonne, his ita ſe habentibus, ejuſmodi amborum apparere conjunctio debet, ut jugi commercio in ſe mutuo agere, hujuſque actiones actionum illius cauſae aut effectus eſſe videantur; quanquam re ipſa duntaxat una diverſantur. Supereſt, A. O. O. H. ut jam in automati alterius locum ſubſtituatis Mentem, in alterius Corpus: ſic concinnabitis Hominem ejus Syſtematis, cui Harmoniae Praeſtabilitae nomen eſt. Fabellam Vobis narravi, quam novitas commendavit, commendatio divulgavit, divulgatio perpolivit, atque plauſibili veritatis ſpecie ſic tandem exornavit, ut ſupra, quam exſpectare Inventor ejus poterat, faventes habuerit Sapientiae Magiſtros. Libenter equidem atque ultro largior, ſi de illo tantum quaeritur, quemadmodum res natura diverſae mutui inter ſe commercii ſpeciem mentiri queant; tametſi nulla in ſe invicem agendi gaudeant facultate; nihil aut ingenioſius, aut expeditius ad hoc problema exponendum inveniri poſſe. At vero, cum video, qui idem ad Hominem transferant creatum, & ejuſcemodi eſſe Mentis ac Corporis Humani conſenſum ſerio non exiſtiment modo,

ſed etiam profiteantur; mirari certe ſubit, noſtro etiam aevo tantum apud Philoſophos valere luſus imaginationis, aut vim autoritatis; ut ne in iſta quidem re, quae ſentiri verius, quam doceri poteſt, commentum admittere dubitent ab illis, quae quisque in ſemet ipſo obſervat, alieniſſimum. Non jam memorabo, quam imperfecte inſciteque in prima infantia inſtrumentis ſuis Corporis Animus utatur; quam paullatim rectum eorum uſum diſcat; quonam modo per gradus veluti Corpori ſuo, hocque illi, adſueſcat, nec ſine ſtudio atque exercitatione frequenti facillitas tandem utrique veniat ordinate ac legibus naturae convenienter in ſocium ſuum agendi. Non his opus eſt argumentis. Provoco potius ad ipſam uniuſcujuſque Veſtrum conſcientiam, cujus teſtimonium omni exceptione majus in hac re cenſendum eſt. An ea cuiquam ex Vobis perſuaderi ſinit, cum eodem temporis puncto, quo Corporis ſui aliqua pars candente ferro aduritur, dolorem ſentit, non ideo dolere, quod uratur, ſed doliturum tamen ſub id tempus fuiſſe, quamvis uſtio abfuiſſet? Quando ad nutum voluntatis membrum movetur, idque ſtatim, & ea vi, directione, dura-

tione, ac ſucceſſione, uti voluntas jubet, hacque viciſſim quietem imperante, mox iterum quieſcit; utrum induci quis poteſt ad credendum, Corpus haec omnia, ſponte ſua, injuſſu Mentis, peragere? Vidiſtiſne homines, quorum pes aut manus ſtupore detenta ſenſu caret? quemadmodum contrectent, fricent, vellicent eam partem, perinde quaſi Animum ſic excitare ad ſentiendum velint. An Paralyticos obſervaſtis? Ut omnes voluntatis ſuae vires intendant, totoque veluti Animo nitantur in parte reſoluta motum ciere, perſuaſiſſimi ſe id voluntate ſua, cum ſani eſſent, efficere potuiſſe: mirantur itaque ſuo nondum adſueti malo, membra obedientiam abjeciſſe, & parum abeſt, ut ſua non eſſe credant. Quae ſi quis abſque ambitione ſecum reputans perpenderit, clarius, opinor, ſentiet, quam verbis exponi queat, quantum in iſta re pondus habeant; & forſan mecum dubitabit, utrumne is ingenii partus ab Homine creato minus abludat, quam qui haud multo ante ex Clari alicujus Philoſophi cerebro prodierat.

Verum abduxit me propemodum ab inſtituto meo multiplex illa imaginum,

quibus in hac re sibi placent Autores, diversitas. Ne igitur longitudine orationis taedium vobis moveam, missis ceteris, ad ea potius me confero, quae in mutuo isto commercio inesse simplex & accurata oeconomiae humanae contemplatio docet. Nolite tamen exspectare, ut naturam ejus, aut fundamentum, quo nitatur, aut modum, quo vicissim iniri possit, Vobis declarem: horum enim omnium nihil a me sciri, nihil intelligi, ingenue fateor atque aperte dico; imo cognosci ea ab homine unquam posse, etiam despero. Neque ut novam aliquam, quae magis congrua videatur, similitudinem comminiscar, hacque exornem, quod explicare non liceat. Etsi enim insignem agnosco similium in docendo utilitatem; non mediocrem tamen legitimus eorum usus requirit prudentiam; uti & exquirantur, quae vitio careant, & intra modum, neque ultra, quam par est, accommodentur: in iis autem rebus, quae in suo genere unicae sunt & singulares, quid tandem boni praestare queant, aut quonam jure locum mereantur, ego nequaquam video; quando apta inveniri non possunt, inepta dissimilium confusionem pariunt: quod in ista materie, de qua

agimus, nimio plus evenisse demonstratum puto.

Itaque leges duntaxat, quibus cum Mens, tum Corpus, in hac societate adstringuntur, quidque & quantum in se invicem potestatis habeant, & quinam fines utriusque dominio aeque ac ministerio praestituti sint, quemadmodum sedula observatione deteguntur, fideliter enarrabo.

Principio autem postulo, ut hoc mihi detis, omnia, quae in Homine sic fiunt, ut cogitationem in se habeant, ad Animum pertinere; ea contra, in quibus motus aut ceterarum, quae naturam corpoream finiunt, proprietatum aliquid inest, Corpori Hominis esse tribuenda. Quod cum a Vobis mihi concedi sentiam, de ea hujus Convictionis specie primum agam, quae maxime secundum naturam est, obtinetque Mente ac Corpore recte habentibus, neque intemperie aliqua aut vitio adfectis, atque adeo Ordinaria dici potest: longe enim alia haec est, quam quae turbulento alterutrius statu observatur.

Scilicet cum Mens tranquilla in sano Corpore est, hujusmodi cancellis mu-

tuum eorum commercium circumſcribitur, ut Corpus aliqua tantum ſui parte, & ea quidem, in qua Senſus & Motus voluntarii exercentur, cum Mente communicet; reliqua autem ſuae ſpontis ſit, reſque ſuas ſibi habeat, omnemque voluntati obedientiam neget. Eam ob rationem duo etiam ſunt functionum Hominis Ordines. Pars enim eo modo ſe habent, ut manifeſtum ſit, una ad Mentem atque ad Corpus pertinere; quando vel ex arbitrio Mentis in Corpore peraguntur, vel ex mutatis Corporis conditionibus in Mente exiſtunt. Aliae contra, eaeque, ſive numerum ſpectes, ſive neceſſitatem, potiores, mere corporeae ſunt, atque tanto velut intervallo a Mente remotae, ut non modo non imperante, ſed nec ſentiente, quin ne conſcia quidem, & vel invita etiam, exerceantur: quo referri debere illas omnes, quae Medicis Vitales atque Naturales audiunt, nemini ignotum eſſe poteſt. Etenim velit, nolit Homo, accipit Cor ſanguinem expellitque, micant Arteriae, Venae ad Cor revehunt, circumducuntur Humores, cibus coquitur, nutritur Corpus, atque alia id genus efficiuntur, ſuumque ſingula rhythmum ac tenorem

ſervant

ſervant etiam in ſomno, cum Mens & ſui Corporis, & eorum, quae in hoc fiunt, & ſui quoque ipſius inſcia eſt; neque augeri iſta, nec retardari, nec ſuſpendi ſe patiuntur; etiamſi efficaciſſimam quis interponat voluntatem. Atque haec poſterioris ordinis eſt ratio.

De priore autem, quem dixi, minime exiſtimetis velim, in totum ſub Mentis poteſtate eſſe, aut hanc in omnium, quae eo pertinent, functionem exercitatione velut ad gubernacula ſedere, Corporis partes duntaxat juſſa exſequi. Imo vero diviſum hic imperium eſt. Muſculorum motibus quidem praeeſt voluntas, plenaque hos autoritate ſic regit, ut ad ejus nutum excitentur, alternent, deſinant. At num in ſenſibus eadem lex obtinet? Tantum profecto abeſt, ut etiam Corpus hic agere, Mentem adfici, adeoque illud imperare, hanc obſequi dicendum videatur. Aperire quidem aut claudere, advertere aut avertere oculos ope muſculorum pro lubitu poteſt Animus; ſed rem, cum ad oculum pertingit, non videre, aut aliter videre, quam ab oculo repraeſentatur, non poteſt. Fames, Si-

tis, Stimuli ad excretiones, quos merito inter ſenſus numeramus, quoties invitam Mentem moleſtiſſime interpellant, turbant, angunt! Et quam incommodum ſaepe eſt rem aliquam cogitanti, ſopitis etiam ſenſibus externis, tot tamque alienas ex Corpore ſuggeri imagines; quam difficile, cum proſiliunt, reprimere; cavere, ne continue interveniant!

Quae cum ita ſint, non ſolum Mentem a Corpore, aeque ac Corpus à Mente, ſed nimirum audebo dicere, vel magis etiam regi. Sive enim naturam ſenſuum ſpectem prae motibus longe nobiliorem: ſive conſiderem partem modo Corporis motu voluntario cieri; at organa ſenſuum in univerſum fere Corpus diffuſa eſſe: ſive denique computem, quam multa Corpus ſua ſponte, Animo nec juvante nec jubente, efficiat; quam contra parum, ne dicam prorſus nihil, Animus ſine Corpore; ut prope dubium ſit, utrum is, dum Corpori junctus eſt, cogitandi quidem initium eſſet facturus, niſi prima materies ipſi ac veluti incitamentum ab Organis Senſuum veniret: haec cuncta accurate ponderata atque in-

ter ſe comparata, ut ita cenſeam, non dicam permittere, ſed jubere videntur. Verum de hac ſpecie abunde dictum.

Ad alteram itaque me converto, quae, cum ſodalium alterutri aut utrique perturbatio accidit, animadvertitur. Quodſi enim convulſae afflictaeque Reipublicae alius eſſe ſolet ſtatus, quam pacatae & tranquillae; in homine etiam majores oriri turbas neceſſe eſt, quoties pars ejus aliqua vehementius adficitur; quando tam arcta eſt partium, quae eum componunt, cohaeſio, ac ſingularum facultates tanta harmonia inter ſe conſpirant.

Videas hinc eo in ſtatu prorſus alias mutui inter Mentem & Corpus commercii ac reciproci imperii atqui obſequii leges, alios limites, obtinere. Quid dico alios? Nulli ſunt. Neque enim aut Mens aut Corpus ſuos intra cancellos ſe tum continent; ſed perinde quaſi nullis adſtringantur legibus, tyrannidem in ſe invicem affectant exercentque. Diceres tum Mentem in Corpus, Corpus in Mentem poſſe omnia: diceres & poſſe nihil: adeo nulla Corporis functio eſt, nullum membrum, nulla particula, quam muta-

re nequeat, ſuoſque veluti ad nutus flectere commotus Animus: nulla viciſſim Animi facultas, quam adflictum Corpus conturbare non poſſit. Quando autem haec omnia utrinque ſic fiunt, ut neutra pars ſui compos ſit, aut, quos producit, effectus, ne fiant, impedire valeat; Impotentiam itaque rectius vocaveris, ob quam ſuis quaelibet viribus, ut par eſt, legitime uti cum ad agendum, tum ad reſiſtendum, neſciat.

Ponite Vobis ante oculos, A. O. O. H. non enim difficile eſt in re, cujus experimenta in ſe quiſque, & exempla in aliis quotidiana habet: ponite igitur Vobis ante oculos imaginem hominis, cujus aut ira excanduit Animus, aut terrore conſternatus eſt, aut percitus amore, aut quacunque demum alia perturbatione abreptus! Quam nihil eſt in ejus Corpore ſui ſimile, in Mente nihil ſui potens! Alius vultus, alius Corporis habitus, alius color, alius membrorum geſtus, injuſſi muſculorum motus, actiones non imperatae, tremores non coërcendi, cordis arteriarumque pulſus non naturales, alimenti coctio, nutrimenti diſtributio, humorum circuitus, ſecretio-

nes, excretiones, verbo: universa Corporis oeconomia perturbata. Atqui in horum plurima tranquillae Menti nihil potestatis est. Quam igitur ampliatur emotae imperium! Si modo imperium id dicendum est, cujus nec conscientiam ipsa habet, nec impetum frenare potest etiam in iis partibus, quae alio tempore mandata ejus quam promtissime exsequuntur.

Haec tamen est Voluntas illa efficacissima, ad quam confugere solent, qui plenam Menti in omnes Corporis partes atque functiones dominationem concessam esse arbitrantur. Pulchram vero Voluntatem! quam nisi extra Mentem posuerint, agnoscere profecto debent, hanc aliquando eodem tempore idem & velle & nolle, quaeque nolit, efficere, quae velit, non posse.

Praeterea minime existimandum est, soli datum esse animo suos motus ac fluctus in Corpus pervolvere: facit enim ea ipsa mutuae conjunctionis vis, ut Corpus in Animum violentia non minore grassetur. An tanta est ulli mortalium Animi constantia, ut, cum saevissimis podagrae aut calculi doloribus excrucia-

tur, perinde quasi non doleat, libere tranquilleque cogitare possit? Angorem ex injucundis ideis natum, modo Corpus sanum fuerit, variis eludere aut fugare modis licet: at si ex Corporis affectione venit, quidquid contra moliaris, haud prius, quam ista, desinit.

Potuit olim Canus Julius, quum Caji Caesaris imperio proxime periturum se certo sciret, pacato tamen Animo esse, latrunculis ludere, ad mortem vocatus cum sodale suo & centurione jocari, moestos amicos consolari, atque ad supplicii tumulum usque, & fere in ipsa morte tranquillus philosophari. Nimirum excusserat dudum mortis metum Sapientiae studio; nec Corporis debilitas eo tempore Mentem stringebat. At si Caligulae aeque facile fuisset inferre morbum huic homini, quam mortem indicere; si hypochondria Philosophi spissato humore obstruere potuisset; si in corpore ejus excitare causas anxietatis: hac via, opinor, certius de summa illa Animi firmitate triumphasset. Quid vini memorem aut febris efficaciam? Corpus, non Animum, tangit vini potio: febris circuitum sanguinis accelerat, cum

quo sedatae Menti nihil est commercii. Temulentum tamen spectate! Graviores sane Mentem ejus, quam Corpus, procellae agitant. Et quoties febre turbatur cerebrum, an non longe aliter percipit Homo, imaginatur, ratiocinatur, judicat, vult aut non vult, quam Corpore sano? Praetereo Apoplexiam, Epilepsiam, Catalepsin, morbos ceteros, qui cum eam Corporis partem, quae sedes Animi dicitur, occupant, omnes hujus facultates adeo vehementer opprimunt, ut prorsus exstinctae videantur, nec isti quoque de semet ipso, num superstes sit, nec ne, satis constet. Mitto etiam innumera alia: cum nemo tam rerum omnium ignarus esse possit, ut non suo ipse incommodo aliquando senserit, se in quacunque Corporis sui constitutione non aeque semper libere ac recte cogitare.

Animadversione autem inprimis dignum hoc est, quod, in utravis tandem Hominis parte exorta primum perturbatio fuerit, non tantum aeque facile inde in alteram transferatur; verum etiam in hac novis veluti viribus aucta revolvi fortior eo, unde venit, & vehementius

iterum prius affectam partem concutere ſoleat: quo itu reditu que reciprocati crebro fluctus altius atque altius quandoque extumeſcunt, ac tandem in aeſtuationem difficilime comprimendam erumpunt: quemadmodum in Maniacis, Melancholicis, iisque, quos Hypochondriacos vocant, & vel abſque morbo in nonnullis temperamentis, uſitatiſſimum eſt.

Quodſi igitur ea omnia, quae hactenus ex indubitatis & ubique obviis obſervationibus in medium protuli, accurate perpenſa ad ſummam revocare libet; manifeſtum hoc eſſe arbitror, Animum & Corpus in Homine eo modo conjungi, ut, cum utrobique tranquillitas eſt & ſtatus quam maxime naturalis, aliqua ex parte quidem commercium duntaxat alere videantur; ſed tamen ut agitatio nulla, nulla mutatio inſignior in alterutro naſci poſſit, quae non ocyus, ſerius, alterum quoque adficiat, adeoque cum toto Homine communicetur.

Quotieſcunque autem in mirabilis iſtius Conſenſus rationem, ſepoſita omni fictione, natura ipſa duce, inquirere ſtudeo; toties detegere mihi videor in Animo æque ac in Corpore ſingulare ali-

quid, quod utrum Incitans, an Impetum faciens, an cum Hippocrate 'Ενορμῶν, an Ορμὴν, aut Impetum & incitationem ipſam appellare quis voluerit, mihi perinde eſt; de re modo mecum conveniat. Id nimirum volo, ex quo violentum illud, quod cum in Animi perturbationibus, tum in motibus Corporis eſt, profluit. Etſi vero utrumque ad commune quoddam genus referri eo nomine poteſt; quoniam praecipua illa incitandi facultate inter ſe ſimilia ſunt: tamen cum alterum in Animo, alterum in Corpore ſedem habeat, nequaquam confundenda eſſe, quis non videt?

Eſt profecto in Animo aliquid ab ordinaria cogitandi, intelligendi, ratiocinandi, judicandi facultate, atque a voluntate etiam pacata, uti opinor, diverſum, ipſum tamen cogitationis non prorſus expers, quod cum ſopitum eſt, abeſſe diceres: tam nihil agit: cum incitatur, impetu vix reprimendo ruit violentiſſimum. Id vero ſi in ortu ſuo, cum primum erumpere incipit, conſideras, nihil invenis praeter cogitationem, qua Mens ſibi aliquid repraeſentat tanquam bonum aut malum, ſibi ſuove Corpori

utile aut noxium, adeoque amabile aut deteſtabile. Ea cogitatio quum ſe jungit rei cujuſdam ideae, quae Animo praeſens eſt, mox perturbatus iſte impetu velut abripitur, ac jam turbulente omnia longeque aliter, quam ante, cogitat & facit.

Nonne Grammaticus, ubi Piſonem a Cicerone Aſinum compellari legit, voculam iſtam ſedato animo contemplari, originem ejus, ſignificatum uſumque varium, ſumma tranquillitate inveſtigare ac exponere poteſt? At cum convitium iſtud ab adverſario ſuo in ſemet evomi intelligit, & jam hujus vocis ideae adjungitur cogitatio contumeliae ſibi illatae, bonaeque exiſtimationis ſuae violatae: tum vero quanta ſtatim perturbatio, quam vehemens impetus Animum ſaepe tranſverſum agit!

Quid pluribus exemplis opus? quando domi cuique ſuae etiam nimis multa quotidie naſcuntur. Vetat quoque inſtituti mei ratio ſuperaddere alia, quae iſtam rem vel limitare exactius, vel cumulatius illuſtrare poſſent, ſi dedita opera hoc loco pertractanda foret.

Satis itaque habe ounum hoc monuiſſe : ſi forſan alicui videatur, originem ejus, quam dixi, turbulentae agitationis a Corpore potius, quam ab Animo repetendam eſſe; quia tam ſubito, atque eo ipſo remporis puncto, quo oritur, etiam in Corpore ſe manifeſtat; eum profecto decipi incredibili illa pernicitate, qua ſuas Animus turbas in Corpus protrudit: etſi quae ſub ordinaria ſenſuum motuumque exercitatione obſervatur, nullo gradu, quam illa, minor eſt: deinde non recte attendere, quod omnes iſtiuſmodi perturbationes non modo a perceptione ſimplici incipiant, ſed inſuper accedentem exigant boni aut mali, quod in oblata re eſſe videtur, repraeſentationem: ut ideo, ſi leviſſima conditio rei, temporis, loci, modi percipiendi, ſimiliumque, mutatur; idea, quae aliter perturbaſſet, nequaquam aliquando, aut longe minus, aut & in contrarium, hominem commoveat. Quando igitur iſthæc abſque cogitatione fieri non poſſunt, Animo, non Corpori, tribuenda eſſe facile perſpicitur.

Eſt autem in Corpore etiam Ἐνορμῶν aut Incitans aliquod, naturae corporeae ad-

ſine, adeoque extra Mentem conſtitutum, Corporis vivi pars praecipua, imo forſan ipſa Vita dicenda. Principium id motionis eſt omnium Corporis membrorum; ex quo cuncti illi motus, quos Corpus ſponte ſua, ignara Mente, exercet, profluunt; quod etiam ſuperſtites in reſectis divulſisve animalium vivorum partibus palpitationes ciere videtur; cujus interventu ac miniſterio ſenſuum motuumque organa ad mutuum Mentis Corporiſque commercium animantur; quod ipſum denique, Homine perturbato, cum ſocio ſuo, quod in Mente paulo ante poſui, impetu effrenato per omnia graſſatur.

Credibile eſt, ſi quae in Corporibus cum ſanis tum aegris animadvertuntur, ſedulo conſideramus, iſtud, quod dico, Incitans in illa Corporis parte ſedem habere, quam origines progreſſuſque Nervorum conſtituunt, quamque haud prorſus incongrue Nervoſum Hominem appellari poſſe videtur; cum per univerſum Corpus diſtributa, ſinguliſque ejus partibus tanquam immixta, ſi ſeorſim ab his ſecreta fuerit, ſceleti inſtar, ſimulacrum Hominis effingere poſſit. Praeterea

Nervorum ista compages suo intus motore haud minus animatur, quam ipsa reliquam Corporis molem, per quam diffusa est, agitat, eoque sensu Hominem veluti in Homine repraesentat.

Ejus vero partitionem aliquam concipere jubet diversa motuum, qui hic exercentur, ratio: sive revera duobus inter se distinctis constet systematibus; sive originem quidem duplicem agnoscat, progressu tamen unum modo sit; sive etiam in diversos fines exeat; seu denique a sola principii legumque motionis varietate omne discrimen pendeat: de qua re disputandi jam non locus est.

Pars certe Nervosi illius Hominis, in qua cum sensus, tum motus voluntarii erercentur, proximum cum Mente commercium in sanitate habet; quidquid agit, hac conscia, hac percipiente, aut etiam jubente agit; ut, cum adficitur, Mens id sentiat, ac vicissim ubi Mens imperat, hujus mandata promte exsequatur. Quod igitur in ista parte est 'Ενορμῶν, quemadmodum per sensum organa suas adfectiones ad Mentem defert; ita quoque hu-

jus arbitrio in motibus ciendis paret, eaque de caufa veluti proxeneta dici poteft, cujus interventu Mens atque organa Corporis inter fe communicant.

Altera autem pars, cui functiones, quas fupra dixi, Vitales ac Naturales mandatae funt, fuis quidem & ipfa adftringitur legibus, at quas nequaquam ab Animo habet; cum fuae fpontis fit, nec voluntas in ea directe aut concitare motus, aut mutare, aut inhibere valeat. Unde confequitur, Principium Incitans, quo haec pars regitur, itidem fui juris effe, eoque quam maxime a fuo compare difcrepare, quod extra Mentis poteftatem fit, neque cum hac aliquid commune habeat.

Utrum tamen duo ifta motionis principia, quae in Corpore deteguntur, uti diverfa ratione ad Mentem fefe habent, ita natura etiam inter fe differant, quis affirmare aufit? Illud certum eft atque indubiis evictum experimentis, eorum difcrepantiam, fi qua datur, minime obftare, ne mutua confenfione confpirent, fuafque adfectiones alterum in alterum transferant. Dolor profecto cum fre-

quentissime Febrim excitet, documento est evidenti, vehementius agitata sensuum organa eum quoque, qui circuitui humorum praeest, motorem conturbare: nec hujus etiam enormes impetus in Corpore ferri, quin vicissim, quod sensuum organa animat, principium adficiatur, docet, ne alia commemorem, ex Febre toties nascens Desipientia.

Quae si quis sedulo singula perpendit, & cuncta dein inter se comparat, ei haud difficile est intelligere, qui demum fiat, ut limitatus ille, quem supra exposui, Animi atque Corporis consensus, & in se mutuo agendi vis, tam longe lateque extra cancellos a natura positos egrediatur, quamprimum in alterutro insignior aliqua commotio exoritur. Habet nimirum Mentis illud Ἐνορμῶν, cujus mentionem feci, cum ea parte Principii Incitantis Corporei, quae functiones Animales moderatur, proximum commercium. Datur etiam inter hanc atque alteram istius Principii partem, qua reliquae functiones Corporis gubernantur, haud obscura consensio. Quotiescunque igitur violentior in Mente perturbatio surgit, nonne necessum est, non

modo in ſenſuum motuumque voluntariorum organis una impetum excitari; ſed vi, aut duratione etiam in reliquum omne Corpus pervolvi? Nec diſſimilis eſſe eventus debet, ſi turbae vehementiores in corpore exoriuntur: in utro enim ejus ſyſtemate primi ſeſe fluctus efferre incipiant; ſicubi aut magni fuerint aut diuturni; ne cum ceteris etiam Corporis partibus, atque adeo cum ipſa denique Mente communicentur, fieri haud poteſt.

Atque ſic de utraque, quod inter Mentem & Corpus eſt, commercii ſpecie ſatis ſuperque dictum puto. Debui autem hanc rem paullo exponere amplius; quoniam in ea praecipuum illius Regiminis momentum poſitum eſt, de quo agere conſtitui. Nec terreamini A. O. O. H. eo quod aquam propemodum effluxiſſe ſentiatis: quae enim dicenda ſuperſunt, brevi ſermone animis Veſtris ſic bene praeparatis inſtillare licebit.

Medicos vocari, qui Hominis valetudinem cum proſperam, tum adverſam, curant appoſite ad illam conſervandam, ad hanc vero ſanandam, nemo Veſtrum

igno-

ignorat. Quando itaque finis Artis Medicae in Sanitate eſt poſitus, quidquid ad eam, cum praeſens eſt, tuendam, aut cum abeſt, recuperandam facere poteſt, id omne ad Medicum pertinere manifeſto ſequitur; utpote cujus officium eſt, quaecunque natura habet, ſanitatis praeſidia rite cognoſcere, ſapienterque ad ſuae artis finem ſingula dirigere.

Tametſi vero non adeo ad univerſum Hominem, ſed ad Corpus modo humanum omnis iſta curatio Medica proprie ſpectat: cum tamen ſpectet Corpus, quod Animum ſibi tam arcte conjunctum habet, & quod prope nullo non tempore vi iſtius conjunctionis & agit in conjugem ſuum, & ab hoc viciſſim afficitur: poteſt igitur Medicus cogitatione quidem jllud ab Animo abſtrahere, atque ſeorſum contemplari; ut idearum compoſitione minus confundatur: at ſi in ipſa etiam artis ſuae exercitatione, ubi cum Homine, ut eſt, rem habet, omnem ſoli Corpori operam ſuam addixerit, nulla unquam Animi habita ratione; nae ſaepiuſculae in curando parum felix aut ſcopo ſuo prorſus excidet, aut partem tamen eorum, quae ad hunc

pertinent, praetermittet. Ineſt enim in iſta ſocietate atque conſenſu, qui inter Hominis partes intercedit, permagna agendi vis, qua ſeſe mutuo non adficere duntaxat, ſed etiam in alium atque alium ſtatum transferre valeant: ut ideo frequentiſſime in Animo cauſa ſit, quamobrem Corpori ſano male, aut aegro melius fiat; Corpuſque viciſſim haud raro aegritudines Animi & producat, & natas ſanet.

Quae cum ita ſint, haud amplius obſcurum eſſe arbitror, oportere Medicum, maxime, cum in opere ſuo tenetur, non adeo prorſus Animum ex oculis dimittere, quin & aliquam ſuae curae partem in eum conferat, videatque, an mutando Corpus illi prodeſſe aliquando poſſit; deinde an forte cauſam morbi, quo Corpus adfligitur, an vero & remedium ejus, in Animo invenire. Supereſt itaque, ut quaenam Medicorum in iſta Animi curatione partes ſint, indagemus.

Quodſi ampliſſimum illum Praxis Medicinalis campum cogitatione percurro; duo praeſertim tempora atque occaſiones mihi videor obſervare, quae Animi

curam regimenque a Medica potius, quam ab alia quacunque arte, desiderent: qua de causa totidem etiam capitibus universam istam materiem commode includi posse existimo. Occasionum altera est, cum ex incongrua Corporis constitutione Mens laborat, aut Corpore vi remediorum mutato sanari potest, etiamsi sua culpa aegrotet. Altera, ubi Corporis morbum Mens efficit, aut auxiliis in Mentem agentibus exstinguere licet. Illa specie Mens per Corpus regitur: hac vero Corpus per Mentem. Utramque Vobis in praesenti exponere decreveram: sed sentio, materiae cum ubertatem, tum jucunditatem, me diutius, quam par est, in introitu detinuisse. Quare, mutato proposito, posteriorem istius regiminis partem, etsi praecipua est, non attingam: insunt enim in ea tam multae tamque ponderosae res, ut longiorem postulent orationem, quam aut obtrudere Vobis ego velim, aut Vos patienter audire possitis. De priore igitur, qua Medicus, curando Corpus, Menti consulere debet, nunc tantum disseram; cum, quae ad eam pertinent, in pauca contrahere liceat.

Non equidem diffitebor, posse alicui primo intuitu, nec absque veri specie, videri, Medicum, qui de ista materie agere suscipiat, falcem in alienam messem immittere, & perinde quasi non sat negotii in sua Arte habeat, illud etiam, quod Philosophorum proprium est, temere sibi arrogare. At vero si re diligentius examinata id quoque objicere quis non dubitat; sciat is velim, Corporis eam curationem potius, quam Mentis, esse dicendam, sed nimirum talem, quae, cum ex regulis Medicorum Corporis partes mutaverit, eadem opera Menti etiam bene faciat. Quapropter & Regimen Mentis per Corpus appellavi. Si tamen excusatio haec minus probanda videtur; agite, Medici! abstineamus manus ab Animi infirmitatibus! habeant sibi istas, nullis exceptis, omnes ac singulas Sapientiae Professores: non ideo limina nostra frigebunt, dum Corporis morborum tantus superest numerus. Eadem autem & ipsis lex esto, quam nobis imponunt: ut ne sustineant nostro arare vitulo, cum parum forte suo profecerint. Fallor! aut ipsos citius, quam nos, datae acceptaeque conditionis poenitebit. Amica igitur

conſpiratione potius cedant Philoſophi Medicis eam curae Mentis ſpeciem, quae in regimine Corporis ſita eſt; ut nobilior illa Hominis pars collatis utrorumque ſtudiis tanto felicius perficiatur. Verum quid opus eſt per vim extorquere, quod nec petentibus Medicis, ultro, non tantum conceſſit, ſed etiam ut proprium tribuit ingenioſiſſimus ſui aevi Philoſophus Des-Cartes? Apertiſſime enim fatetur, * *Animum adeo a temperamento & organorum Corporis diſpoſitione pendere, ut ſi ratio aliqua poſſit inveniri, quae homines ſapientiores & ingenioſiores reddat quam hactenus fuerunt, credendum ſit illam in Medicina quaeri debere.*

Quodſi itaque in Corpore ſano ſana Mens eſt, ut huic ſua conſtet ſanitas, ſalubribus Ὑγιείνης praeceptis Corpus incolume atque integrum conſervando Medicus efficiet. Quando enim leviculae etiam Corporis mutationes, a commiſſis in diaeta erroribus inductae, permagno ſaepe Menti impedimento ſunt, haecque non aequa ſemper facilitate agere poteſt, ſive humido Corpus ſive ſicco

* *Diſſertat. de Methodo n.* VI *p. m.* 38.

in aëre verſetur, ſive parum aut multum comedat, aquam bibat aut vinum, brevi an longo ſommo utatur: Medicorum profecto eſt exponere, quem quiſque & delectum & ordinem & modum in aëre, victu, exercitationibus corporis, ac reliquis, quas vocant, rebus non naturalibus ſervare debeat; ut vigor Menti ſuae quam conſtantiſſimus, & non interrupta ſerenitas praeſtetur.

Et quanquam Homines inveniuntur tanto cum Animi, tum Corporis robore praediti, ut omnia promiſcue ferre abſque detrimento poſſint: qui eam ob rem nec legibus obligantur, nec Medico egent, niſi qui moneat, ſero doluiſſe aliquos, ſe plus ſperaſſe de viribus ſuis, quam in iis erat: in multis tamen hi oppido ſunt pauci, longeque plures contra videas, inter eos praeſertim, quibus Animi, quam Corporis, cultura magis cordi eſt, qui, imbecilliora nacti Corpora, aut diligenter curare valetudinem ſuam debent, aut diu atque acriter Mentem exercere ſine multis incommodis non poſſunt.

Praeterea incidunt aliquando neceſſitates, quae Mentis Actiones ultra, quam

vires abſque moleſtia ferunt, intendere aut protrahere jubeant: tum vero niſi Medica curatione Corpori providetur, oborto id languore torpens, aut dolore fractum, mediis in occupationibus Mentem deſtituet.

Si tamen cuiquam forſan videatur, non tanti iſta eſſe, ut Medici operam requirant; eo quod abſtinentia & quiete, quam ipſa fatigatio & aegritudo imperat, ſua Menti alacritas ſponte plerumque redeat: eum quidem meminiſſe etiam oportet, nonnunquam aliter evenire, nec exempla deeſſe eorum, quos Animi exercitationes ultra modum continuatae, ob neglectionem Corporis, ita tandem enervarunt, ut retuſo prorſus acumine in fatuitatem quoque aut ſtultitiam inciderint.

In univerſum ea eſt Mentis Humanae operationum natura, ut pleraeque omnes aliquo ſaltem Corporis adjumento opus habeant; ſive cogitandi materies, ſive inſtrumenta, quibus, quod Mens vult, efficiat, ab illo ſuppeditentur. Quodſi vero earum nonnullas abſque Corporis auxilio etiam fieri quis arbitretur; certiſſimum tamen eſt, & has

& ceteras omnes, ne legitime & alacriter peragantur, Corporis interventu quam maxime prohiberi poſſe. Unde conſequitur, tanto cum liberiorem, tum perfectiorem fore cunctarum exercitationem, quanto partium Corporis omnium conſtitutio optimae ſanitatis legibus accuratius reſponderit.

Etenim niſi ſtatuere velimus, Corporis partibus, quae ſub Animi imperio ſunt, conformationem ſingulis ſingularem prorſus ſine cauſa obtigiſſe, divinumque, quod in iis miramur, artificium plus ornamenti, quam uſus, habere, & quoquo modo comparatae fuerint, aeque aptas eſſe, quibus ad opera ſua Mens utatur; fatendum omnino eſt, iſtam actionum ſpeciem, quas Mens per inſtrumenta Corporea obit, haud ita plane in ejus poteſtate eſſe, ut non a diverſa iſtorum habitudine multum & juvetur & impediatur.

Nec diſpar profecto eſt perceptionum, quae Animo ex Corpore veniunt, ratio: imo variatae organorum conditiones plus etiam in illas valere debent, quando Mentem in iſto commercio adfici potius, quam agere, veroſimillium eſt.

Quis noſtrum non in ſemet ipſo experitur, unam atque eandem rem diverſis temporibus longe aliter itemque aliter ſibi repraeſentari, prout ſenſus organum, quod tangit, varie conſtitutum eſt? In Guſtatu quantam aut aetas, aut morbus, diſcrepantiam parit! Quae tenerum infantis palatum olim horruit, eidem adulto ſaepe jucundiſſima: & quotidianae inter Medicos obſervationis eſt, potum, qui febricitanti paulo ante gratiſſimus erat, eidem, cum febris deceſſit, videri deteſtabilem, redeunte tamen febre mox iterum placiturum. Senſuum externorum nullus eſt, qui non documenta iſtius rei & multa & indubia cuivis ſemet ipſum attendenti expromere poſſit. Internos autem, quos vocant, conſimili ratione ſe habere, ut alia mittam, ſomnia etiam atque deliria manifeſtum faciunt. Inprimis vero illud memoratu digniſſimum eſt, organa Corporis tantum poteſtatis in Mentem habere; ut etiam ſcientem quandoque fallant, ac perceptionibus rerum, tanquam ſi vere adſint, eam imbuant, quas tamen abeſſe, nec percipi a ſe poſſe, evidentiſſime cognoſcat. Magno id ſaepe incommodo ſuo experiuntur,

qui, integro nati usique corpore, membro hujus aliquo deinceps infortunate minuti sunt: etiamsi enim mutilatos se esse nimio plus convincantur; non impedire tamen firmissima ista persuasio potest, ut non subinde ea ipsa Corporis parte, qua se carere certi sunt, dolorem persentiscere sibi videantur, eumque tam vehementem distinctumque asseverent, quasi pars nunquam adfuisset. Quanta fallacia! At cujus originem cum in Animo ponere nulla veri specie liceat, ad Corpus itaque referri consentaneum est.

Postremo, si quas unquam actiones solus in sese Animus ita obire valeat, ut totae ipsi propriae sint, nec aliquid corporei admittant; nihilo minus ad istas etiam diversam Corporis constitutionem suum quodam modo momentum habere, extra dubitationem est. Non jam memorabo intellectu difficillimum esse, qua tandem ratione series aliqua & continuatio cogitationum contexi possit, nisi aut Sensus externi, aut Memoria & Imaginatio, quarum maximam sane partem, ne plus dicam, Corpus sibi vindicat, ideas continue sup-

peditaverint. Unum hoc ſufficit, Animum & Corpus in vigilantibus perpetuo inter ſe communicare, omnique momento alterum ab altero affici. Quamobrem Mortalium pauciſſimos reperias, quibus datum ſit, Animum ita a Corpore avocare, ut is, tanquam in receſſu ſuo, ſolus, atque ab omni mutui commercii viciſſitudine ſemotus, cogitare queat. Pleroſque omnes frequentiſſima turbat Corporis interpellatio, nec in ejuſdem rei meditatione continenter inhaerere ſinit. Facile tamen cuique in ſemet ipſo animadvertere licet, alio atque alio tempore, pro vario rerum non naturalium uſu, ſibi id magis aut minus moleſtum eſſe; & magis quidem, cum partes Corporis, regimine haud legitimo conturbatae, in motus inordinatos aguntur; minime vero, ſicubi ob congruam vivendi rationem univerſa Corporis oeconomia ad aequabilis normam ſanitatis compoſita fuerit.

Quae ſi quis accuratius perpendit, nullum opinor dubium ei ſupereſſe, cum Medicus arte ſua valetudinem Corpori proſperrimam procurat, eadem opera haud leve Animo praeſtari beneficium,

omnesque & singulas ejusdem actiones una perfici ac promoveri.

Etiamsi autem rarius de ista officii Medici parte cogitetur; haud quaquam tamen ultimo habendam loco esse, aut plane negligendam, ex eo praesertim manifestissimum est, quod non ad Intelligentiam modo, qua multi facile, nec magno suo incommodo, aut rei publicae detrimento, carent, verum etiam ad Mores Hominum inprimis pertineat. Sapienter itaque non minus, quam verissime, veterum Philosophorum * aliquis *Augescere*, dixit, *Mentem*, *cum adest Sanitas*, *adeoque huic ut prospiciant*, *qui recte sentiunt*, *consentaneum esse: ubi vero Corporis habitus dolet*, *nec Mentem ad virtutis meditationem esse alacrem.* Inter eos sane, qui moralem disciplinam profitentur, nemo est, quin ultro agnoscat, virtutes ac vitia, quae in Hominibus insunt, magnam partem ex Animi motibus profluere, aut, si quae aliunde etiam scaturiunt, ab illis saltem plurimum intendi. Hi vero ipsi cum ex Potentia illa Incitante, quam

* *Vid. Democriti aut cujusvis alius Epistola* de Natura Hominis, *quae inter Hippocratis Opera exstat.*

in Animo dari ſupra docui, erumpant, cujus tam magna tamque perpetua eſt cum Principio motionis Corporeo conſenſio; an igitur quiſquam dubitare poteſt, Medicum, qui accommodato rerum non naturalium uſu Ἐνορμῶν Corporis alias vegetius reddat acriuſque, alias, cum juſto ferventius eſt, moderetur ac retundat; quanquam in Corpus duntaxat agit; una tamen Animi illos impetus, tot bonorum malorumque fontes, dirigendi facultate non prorſus deſtitutum eſſe? Quis Veſtrum, A. O. O. H. neſcit, cibis potibuſque, &, quae diverſis anni temporibus alia atque alia eſt, aëris temperie, imo vel ſolis etiam odoribus, appetentiam Veneris aut inflammari aut exſtingui? Quis mirabilem illam, quam Vini potio habet, efficacitatem ad motus Animi excitandos, refringendos, delendos, ignorat? Hominum brutorumque ingenia victu cruento efferari atque ferocire, miteſcere contra eorum, quae tellus profert, uſu, obſervatio fidem facit. Quamobrem etiam credibile eſt, eos, qui, cum divitiis affluant, palato ac ventri ſuo, quidquid luxuria excogitavit, indulgent, ſuamque ſobolem a prima ju-

ventute eadem intemperantia imbuunt, ſibi ſuiſque permagna ſic quandoque cudere virtutis impedimenta, ſtimuloſque ad vitia acuere, quibus reſiſtere tanto minus valeant, quanto magis ab incontinentia aluntur, ac novum jugiter pabulum ex Corpore laſciviente trahunt.

Quidni igitur praeeuntes ſequamur Viros Sapientiſſimos, Pythagoram, Platonem, nonulloſque alios veterum Philoſophorum, qui ideo partem ſuae diſciplinae aliquam in Diaetae regulis collocarunt, ut curatura Corporis Animum in virtute adipiſcenda adjuvarent? Nec aliter viſum eſt priſcis illis populorum Legislatoribus, quum ſuis etiam de victus regimine, & de eo quidem maxime, quod in educandis liberis ſequi oporteret, praecipere, certiſque cum cibis, tum potibus, interdicere non neglexerunt: quanquam enim multae ipſis, nec eædem omnibus, cauſae eſſe potuerunt, quamobrem ita ſtatuerent; in multis tamen iſtam quoque fuiſſe exiſtimo, uti nimirum, recta vivendi ratione ſuorum Corpora Civium ab omni intemperie immunia reddendo, una Animos ad fugam vitiorum, vir-

tutumque exercitationem, minus impeditos praeſtarent. Haud aliam certe ob rationem Plato in Republica ſua tam anguſtis uſum Vini legibus adſtrinxit, ut propemodum non niſi morbo affectis concedere voluiſſe videatur: re enim penitius excuſſa non dubitat tanden ita concludere. * *Sed multo magis Carthaginenſium legem, quam Cretenſium Lacedaemoniorumque uſum probarim, ut nunquam in caſtris quiſquam guſtare Vinum audeat, ſed toto hoc tempore aquam bibat. In Urbe nnnquam Vini uſum ſervis conceſſerim; nec Magiſtratibus eo anno, quo Magiſtratu funguntur; nec Praefectis etiam, neque Judicibus, quum in munere ſuo verſantur; nec cuicunque demum de re alicujus momenti deliberaturo. Imo nullus plane interdiu id bibat, niſi corporis exercitandi aut morborum cauſa: neque & Vir aut Mulier de nocte, cum liberis operam dare voluerint. Alia inſuper multa referri poſſent, in quibus hominibus mentem legemque rectam habentibus Vinum non ſit bibendum &c.*

Verum iſthaec cum ſua luce fulgeant, pluribus adſtruere ſupervacaneum

* *In fine Dialogi Secundi de Legibus.*

foret. Majoris autem in hac re momenti haberi debet consideratio earum diversitatum, quibus sana Corpora singula a singulis discrepant. Temperamenta Medici appellant. Quorum uti haud minor fere observatur inter Homines varietas, quam facierum; ita vis in Animos profecto maxima est. Datur quippe Animi quaedam cum Corpore suo similitudo, ob quam pro diverso hujus Temperamento Animi operationes non eadem in singulis Hominibus ratione sese habent; ut id circo in proverbium quoque abierit, Mores Temperamentum Corporis sequi.

Inde si sua singularis est in Calida Temperie Corporis constitutio, sua humorum crasis, suus circulationis ceterarumque, quae a Corpore exercentur, actionum tenor; aliter autem haec omnia sunt in Frigida, rursumque aliter in Sicca aut Humida: haud certe minor in singulis est eorum, quae ad Animum pertinent, discrepantia: frustra parem in omni Temperamento desideraveris aut intelligendi facultatem, aut judicandi vim, aut aciem ingenii, aut attentionis constantiam, aut memoriae tena-

tenacitatem, aut fervorem imaginationis: fruſtra eaſdem quaeſiveris propenſiones, ſtudia, virtutes, vitia: quemadmodum in Corporibus, ita in Animis diverſa haec ſunt omnia.

Quae res cum in communi Hominum vita innumeris quotidie exemplis patefiat, a nemine quidem non agnoſcitur: at utrum prima ejus origo a Corpore, an a Mente repetenda ſit, id vero in controverſiam venit. Amplior autem graviorque haec quaeſtio eſt, quam ut hoc loco a me explicari, nedum ſolvi poſſit. Iſtud tamen dicere non vereor, ſi quando Corporis compoſitionem ex plurimis iiſque diverſiſſimis partibus cum magna, quam in Mente concipere fas eſt, ſimplicitate confero, multo mihi magis credibile videri, in re, quae ſua natura multiformis eſt, iſtarum varietatum ſedem, non dicam unicam, ſed praecipuam eſſe poſitam. Verum ne longius a meo propoſito aberrem, facilis ero, mediaque inter diverſas ſententias via incedens, tantumdem Animo, quantum Corpori, in hac re deberi largiar. Etenim qui nullam prorſus Cor-

poris rationem hinc habendam esse arbitrantur, parum, opinor, cogitant, quoties facultates moresque Animi mutentur, cum aut aetas, aut morbus, aut aliae hujusmodi causae Temperamentum Corporis mutaverint.

Itaque perspicuum esse existimo, non posse Philosophum auxilio Medici carere, sicubi aut cognoscendi fuerint Hominum Animi, aut disciplina emendandi. Quis enim, praeter Medicum, singulare cujusvis Temperamentum exposuerit? Quis cuilibet Temperamento propriam Mentis capacitatem? Quis Animi motus, & cupiditates, & vitia, in quae, nec eadem semper, nec eodem impetu, pro varia Corporis constitutione, Homines feruntur? Ut enim non omnem frugem, neque arborem, in omni agro reperire possis; sic non omnis aut virtus, aut vitium, in omni Temperamento nascitur: aliquid ubique & boni & mali est, at diversum in quolibet.

In Temperie, quam vocant, Sanguinea ingenium docile, promptum, animum liberalem ac flexilem, comitatur incuria, imprudentia, inconstantia, in-

temperantia, voluptatum amor impotens.

In Melancholica conſtitutione contraria iſtis omnia: Vis intelligendi tarda, ſed cunctando penetrantiſſima, attentio indefeſſa, in perſequendis inceptis pertinacia, prudentia etiam modum excedens, avaritia, animus ſuſpicax, motus Animi non veloces quidem, at vix exſtinguendi.

Laudaveris in Homine Cholerico ingenium acre, fervidam imaginationem, igneam ad labores alacritatem, conſtantiam: dolebis tamen junctam his temeritatem omnibus audendis paratam, iracundiam crudelem, intolerabilem ſuperbiam.

Quid ſomnolentos denique Phlegmaticos excitem, quos, cum ad omnia torpent, neque aliquid magnopere conantur, gulae ventrique ſuo duntaxat vivere dixeris?

An vero exiſtimatis, A. O. O. H. parum intereſſe Philoſophi, iſthaec a Medico diſcere; ut & ſuum ipſius & eorum, quos in diſciplinam ſuam re-

cepit, Temperamenta, quidque in his boni aut mali insit, quid foveri & excoli, quid reprimi ac suffocari debeat, pernoscat? Dicetis itaque iisdem verbis, Plantis omnibus eandem sufficere culturam, & Corporis morbos uno omnes remedio sanari posse.

Verum dabo, parvi haec momenti esse, aut sedulo observatori, etiam inconsulto Medico, facile patefieri: quodsi tamen ad Animi illa vitia & affectiones, quae in Temperamentis sedem habent, invenienda Medicina est, eam modo a viribus humanis non discesserimus, aut Medicus, opinor, dabit, aut nemo.

Nolim equidem ratiociniis, praeceptis, monitionibus, objurgationibus, atque adeo diligenti ac severae disciplinae omnem in ea re efficaciam & utilitatem derogare. Multum ista saepe ad vitia valent compescenda, ne violenter prorumpant: at cum in Corporis compagine haec inoleverint, vix ita eruere possunt, ut non usque & usque recurrant. Radicem in Corpore defixam evellere oportet: quam si reli-

queris, etſi herbam demetis, novum continuo lolium ſuccreſcet.

Quando igitur, qui id curae ſibi habent, ut Animos hominum ad meliorem frugem perducant, rariſſime de iſtiuſmodi remediis cogitant; aut ſi qui etiam de utilitate eorum forſan perſuaſi ſunt, vix tamen diligenter, ut par eſt, adhibere ſolent: non amplius mirum videri poteſt, reluctante Corporis conſtitutione tam infelices plerumque ipſorum conatus eſſe, atque adeo prope nihil efficere; ut ne de uno quidem Alcibiade triumphare Socratis diſciplina valuerit.

Medicorum certe eſt, cum in omni Temperamento aliqua intemperies ſit, quae ultra modum increſcens noxas inferat, & juſto rerum non naturalium regimine, & aliis auxiliis, quod nimium eſt, retundere, ne Corporis valetudinem peſſumdet. Quidni id ipſum agendo & Animi morbos ex eadem cauſa oriundos ſanare poſſint? Quid dico? An aliunde, praeterquam a Medicis, ſanatio eorum ſperanda eſt?

Cum ex ebrietate aliquis coeco im-

petu in turpem Venerem, aut in aliud quodcunque flagitium, pronus ruit, an hunc ratione reges, atque ab amentia ista abduces, dum Corpus vino flagrat? An potius operam dabis, ut, semota peccandi occasione, quantocius Hominem ad somnum componas, quo Vini stimulus, insaniae causa, dissipetur? An praeceptis dein sic mutare Animum ejus conaberis, ut, etiamsi temulentus, a flagitiis tamen abhorreat? An vero, ne merum posthac in se ingurgitet, cavebis? Nemo est, opinor, quin videat, feliciorem hic operam fere, quam quis Corpori addicat; cum hujus agitatione Mens extra se projecta in furorem adigatur. Nonne autem similis est adfectuum, qui ex Temperamentis in Intelligentiam aut in Voluntatem inducuntur, ratio? Fateor difficillimum esse haec mutare: Verum difficilius etiam est, his immutatis aliam imprimere Animo indolem. Neque morbos eam ob rem a foro Medico relegare fas est, quod aegre sanabiles sunt. Deinde, quanquam operosum est, haud tamen omnem artis potestatem superat, Corporis constitutionem aliqua ratione inflectere, minimum ita moderari, ut

intra mediocritatis cancellos contineatur; dummodo in uſu eorum, quae conducere poſſunt, ſatis diligentes atque aſſidui eſſe homines velint.

Quotidianae obſervationis eſt, Homines vi aetatis aut morborum, quandoque etiam ob mutatum vitae genus, in aliud atque aliud Temperamentum tranſire. Non igitur quidquam obſtat, quo minus & Medici ſuis idem inſtrumentis efficere valeant. Notiſſima res eſt, exceſſus, quibus Temperamenta quaelibet laborant, incongrua vivendi ratione intendi, atque in morbos non raro turgeſcere. Sola certe ſanguinis abundantia plerisque majorem addit vehementiam. Quis itaque negare auſit, dari etiam hujusmodi, quae, etſi non mutant, excedentem tamen eorundem vim retundere, impetumque comprimere poſſint? Quoniam autem, quod in iis nimium eſt, Animum praecipue offendit, intelligentiam turbat aut hebetat, voluntatem ad vitia inclinat, ad virtutes ſegnem reddit; hoc tandem manifeſtiſſimum eſſe arbitror, quam quis ad iſta Mentis impedimenta a Medicis opem requiſiverit, non modo non

vanam aut inutilem, verum etiam inprimis fore necessariam. Quodsi vero aliquem in hac causa autoritati quoque locum esse censetis, A. O. O. H. unus instar omnium erit Galenus, summus pariter Philosophus atque Medicus, qui cum de ista materie differit, confidentissime demum ita pronunciare non dubitat: * *Illi ergo, qui admittere gravantur, alimentis effici posse aliquos temperantiores, aliquos magis dissolutos, aliquos incontinentiores, aliquos modestiores, alios audaces, quosdam meticulosos, mansuetos & comes, contentionum ac rixarum amantes, nunc saltem resipiscant, atque ad me veniant, ut, quae ipsos comedere, quaeque potare conveniat, discant! Ad moralem enim Philosophiam sic maxime juvabuntur, & praeterea secundum rationales Animi facultates ad capessendam virtutem proficient, perspicaciores, memoria tenaciores, discendi avidiores itemque prudentiores redditi. Praeter cibos enim & potus, etiam ventos, & Aëris temperaturas, insuperque regiones, quales deligere, quales vitare ex usu sit, ipsos docebo.*

* Cap. IX. Libri, *quod Animi mores Corporis Temperamenta sequantur.*

Utinam tamen iſta Medicinae pars, ex qua tantum utilitatis Humano generi, tantum ornamenti ac gloriae Medicis ſperare liceat, non tam imperfecta foret; ut etiam propemodum neglecta dici debeat! Quodſi enim, quae de differentiis Temperamentorum vulgo hodie traduntur, conſideras; ſunt ea modo generaliſſima, quae parum juvent, & pauciſſima, quae infinitam illorum varietatem complecti minus, quam nux Illiada, poſſint. De diverſis autem Corporis hujuſque partium conditionibus, quae in unaquaque Temperatura inſunt, quaeque eam conſtituunt & diſtinguunt, etſi diu multumque diſputatum eſt, vix tamen, quae habemus, ſatis certa ac limitata ſunt, adeoque nec magnopere ad uſum accommodata. Poſtremo, cum legitima Temperamentorum curatio praecipue operam Medicorum exercere debuerat, quae ad hanc rem pertinent, majoribus etiam defectibus laborare dolemus. Verum ne moleſtus ſim Vobis, leviter iſthaec tetigiſſe ſatis eſt. Norunt rerum periti, quam multa in Medicinali Temperamentorum doctrina deſiderentur, quae ſi diligenti ob-

ſervatione accuratius perveſtigata atque expoſita forent, Medico cum in univerſa Artis ſuae exercitatione, tum maxime in iſta ejus parte, de qua dico, abſque dubio plurimum prodeſſe poſſent.

Nonne tritum ac pervulgatum eſt, Homines, ut paullatim per varias aetates eunt, non Corpore duntaxat, ſed Animo quoque maximopere mutari? Intelligendi, ratiocinandi, judicandi facultate, memoria, inclinationibus voluntatis, moribus, inſtinctibus, ſenex a juvene, infans a Viro quantum diſcrepat! Quam Sexus a Sexu eo etiam nomine diſtat! Nationes deinde ac Gentes diverſas inter ſe comparate! Invenietis hic pariter Animi facultatum affectuumque differentiam incredibilem. Sunt ſui Britanno impreſſi characteres ſingulares, ſui Hiſpano, alii Italo, alii Gallo, ceteris alii: neque vel virtutes vel vitia eadem apud omnes dominantur.* *Inter Scythas Vir unus Philoſophus extitit; Athenis vero multi: rurſuſque Abderitarum complures ſunt deſipientes; Athenienſium vero pauci.* Iſtius autem diſcrepantiae cauſam coeli ſolique diverſitati ex parte tribuendam eſſe, Platoni

* *Galen. libro mox citato in fine.*

visum est; quum *Deam* * ait *in condendis Athenis eam elegisse regionem, quae ob aëris temperiem prudentissima ingenia procrearet: bellicosam enim & Sapientem Deam regionem talem censuisse eligendam, quae sui similes editura homines esset.* Quid Homo etiam Homini interest, ut molliter aut durius educatus, alio atque alio vitae genere, a puero praesertim, usus est! Quantum a se ipso nonunquam Hominis Animus, etiam cum sui compos est, in morbis Corporis mutatur! Dubites propemodum, an idem sit: quod vel a vulgo quoque, nec semper absque ratione, mali habetur ominis; uti contra boni, cum aeger ad ingenium redit. Quam denique, qui ex morbis convalescunt, priusquam vires resumserint, aliquando Animi sui affectus, mores, studia, longe alia experiuntur, quam quibus in plena sanitate adsueverant; ut apud sese ignari & veluti hospites sint! Novi, quibus ex hac causa tam incommoda fuit iracundia, ut, cum sibimet ipsis fastidio essent, ratione tamen reprimere exaestuantem perpetuo bilem non possent, & restituta tandem cum viribus Animi modera-

* *Plato in Timaeo.*

tione plus etiam de hac, quam de ſuperato Corporis morbo, ſibi gratularentur.

At quorſum iſthaec omnia? Eo nimirum, A. O. O. H. ut intelligatis, multiplicem illam Animorum diſſimilitudinem magna parte Temperamentorum diverſitati deberi, adeoque tum demum futurum eſſe, ut a Medicis accuratius cognoſci, explicari clarius, felicius curari poſſit, cum naturam Temperamentorum plenius perſpectam habuerint.

Venio nunc ad illa Animi vitia, quae proprie morbis accenſeri ſolent, quibuſque ſi homo adfligitur, aegrotare eum dicimus. Quanquam enim, quas ſupra memoravi, affectiones Animi ſuo quodam jure ad aegritudines etiam referri debent: quia tamen mortalium nemini tam beato eſſe contigit, ut non iſtarum aliqua laboret; mollius ea propter nomen paſſim accepere; ne omnes male ſani diceremur. Et profecto ubi cuncti ſunt Polyphemi, quis unoculum arguat?

Multi quidem horumce Animi mor-

borum tam aperte ex labefactato Corporis ſtatu oriuntur; ut apud omnes in confeſſo ſit Medicorum eſſe eos ſanare. Maniam volo, Melancholiam, Phrenitidem, Deſipientias febriles, Furores Uterinos, Rabiem ex morſu animalium rabidorum natam, Catalepſin, ceteros. De his itaque quando nulla eſt aut controverſia, aut dubitatio, plura non dicam; ne longitudinem temere affectare videar.

Miror autem ſaepiſſime, non eſſe quemquam, qui non ultro agnoſcat, omnes id genus morbos vel maxime ad forum Medicum pertinere; cum eos manifeſta aliqua in Corpore labes praeceſſit vel comitatur, quam quiſque intelligat, perturbationem Animo intuliſſe; quoniam aut haec mox illam inſecuta eſt; aut Corpus una vehementer & gravius etiam, quam Mens, afficitur; aut quia in omnes Mentis facultates ſubito malum ſeſe diffudit; aut etiam quod obſervatio multiplex docuit, ab iſtiuſmodi Corporis affectionibus plerumque Mentem conturbari. At vero ubi abſunt iſtae conditiones, etſi iidem morbi ſunt, rarius de con-

ſilio Medico cogitari, & quandoque tum demum, cum inutilibus multis, ne dicam & noxiis, perperam adhibitis, radices tam profundas egere; ut erui amplius nequeant. Perinde quasi non horum etiam cauſae corporeae eſſe poſſint, ſed minus evidentes, vel non admodum quotidianae, vel ejusmodi, quae non alio effectu, quam Mentis illa aegritudine cognoſcendam inducant Corpori mutationem, vel quae paullatim etiam, & lento tantum gradu, adeoque clanculum, in Corpus ſubrepant.

Narrat Olaus Borrichius, * Juvenem ingenii pinguis ac obtuſi, qui, licet cum fratre ſuo, ex diſciplina pulchre provecto, eodem uſus praeceptore, nihil tamen admodum ediſcere potuerit, febre maligna prehenſum, poſt multas delirationes, tertio morbi die, cum eloquentia, tum eruditione inuſitata, de vanitate mundanorum, de contemnenda morte, de non formidanda Corporis diſſolutione, ſaniſſimo ſimilem disſeruiſſe, idque ſine ullo adeo inſaniae veſtigio, ut eruditus aliquis Senecae

* *Th. Bartholini Act. Med. Hafnienſ. vol.* V. *p.* 162.

nepos non potuiſſet melius, pauloque poſt ad deliria reverſum fatis conceſſiſſe. Erunt fortaſſe, qui altiori cuidam cauſae hanc Animi metamorphoſin tribuendam eſſe cenſeant: quibus equidem refragari nolim; modo mihi viciſſim largiantur, illata prius Corpori mutatione mutatum Animum fuiſſe, febrimque haud minus ſapientiae, quam deſipientiae, anſam praebuiſſe.

Vidi ego ante plures annos mulierem, quae cum ob diſſolutiſſimam mariti ſui vitam diu multumque contriſtata tandem quarundam anicularum ſuaſu & ſolatium, & praeſertim audaciam ad acriter objurgandum ſuum hominem, in Vini aduſti potione quaereret, utrumque quidem conſecuta eſt; aſt illud etiam, ut quotieſcunque Baccho ferveret, toties miſerrimum in modum de aeterna Animae ſuae ſalute deſperaret. Memini, quam numeroſa argumenta, quam iteratae adhortationes, quam cumulatae conſolationes in caſſum ceciderint; priuſquam in femina, quae ob honeſtos ceterum mores vix ac ne vix quidem in temulentiae ſuſpicionem venire poterat, euntis redeuntiſque afflic-

tionis causa atque remedium detegeretur.

Observatione certa in vicina quadam urbe compertum est, matronam ex graviditate in invincibilem adeo ad furandum inclinationem incidisse, ut, quamvis nullius rei penuria laboraret, continere se non posset, quin obvias quasque aliorum res, & vel escale argentum amicorum suorum, a quibus epulis excipiebatur, clam subduceret, impetu tamen isto puerperam deserente, at nova qualibet conceptione denuo invadente, imo vel aliquot ejus liberorum infelicissima haereditate etiam ingenerato.

Quid memorem, * Gravidas inordinati appetitus incitamento eo inhumanitatis adactas; ut non modo homines, sed proprios etiam maritos interficere, eorumque carnibus vesci non abhorruerint? Tametsi enim rara prorsus atque insolita est ista affectio, neminem tamen fore confido, qui non praegnantis uteri, adeoque Corporis, efficaciae

* *J. Schenkii Observ. Medic. Lib.* IV. *pag.* 566.

ciae tribuendam esse censeat; quando graviditatem insecuta est, & multa passim atque mirabilia Picae ex hac causa natae exempla prostant. Alia nihilominus longeque gravior Judicum fuit sententia in simili casu Elisabetae Mediolanensis, quam, cum hujusmodi, uti videtur, morbo obnoxia pueros blanditiis ad se allectos, inque domum suam deductos mactasset, carnemque eorum sale conditam indies comedisset, supplicio rotae atque ignis peremptam esse legimus. † An, quia gravidus forte huic mulieri non erat uterus, Animi ea potius, quam Corporis, culpa haberi debuit? Quasi vero depravatam ex mollitie appetentiam non etiam aliae excitare causae possint, nec infantes quoque, & virgines, & vetulae, imo vel viri, eam quandoque patiantur. Nec fato usa est meliore Puella Scotica, latronis anthropophagi filia; quum annis duodecim haud major, in paterno scelere deprehensa, viva subire sepulturam acerbissima damnatione cogeretur; etsi vix dum annum nata parentes suos flammis exustos amise-

† *Histor. Univers. di M. Gasp. Bugati lib.* VI. *p.* 754.

rat, atque ab eo tempore inter alios fuerat educata: ut vero quam simillimum sit, immanem parentum libidinem haereditaria tantum labe infaustae soboli congenitam fuisse. †

Praetereo lubens complura alia cum vitia, tum virtutes, quae, veluti in semine radicata, vi hujus a Majoribus in posteritatem longa successione non raro propagantur & quodammodo gentilitia fiunt. Mitto etiam, quae foetui uterino ex commercio, quod cum matre habet, inolescunt. Nec memorabo, quoties male moratae nutricis lacte infantis bene nati Animus corrumpatur atque in turpissima flagitia, a sua stirpe prorsus aliena, deflectatur. Si cui Medicorum observata pervolvere volupe est, innumera is ad hoc genus pertinentia inveniet: & nemo fere tam rerum imperitus est, cui sua non memoria exemplum aliquod suggerat; cum in colloquiis etiam familiaribus sermones fortuito in istam materiem incidere contingit.

Quandoquidem vero, quae in me-

† *Ex Hect. Boethii Histor. Scotor. citat Marc. Donatus Hist. Medic. Mirab. Lib.* IV. *C.* I.

dium protuli, omnia atque ſingula ita ſunt comparata, ut abſurdum foret negare, ex Corpore ea in Animum dimanare, etiamſi, quanam id ratione fiat, explicatu difficillimum ſit: non igitur dubitare amplius quiſquam poteſt, cauſas omnino dari, quae ſtupendas Animo inducere mutationes valeant; quanquam ſolummodo in Corpus agendi facultatem habere credibile eſt, nec eam quoque admodum magnam, aliquando ne tantam quidem, ut vel leviter illud labefactent, aut variatione ſenſibus manifeſta afficiant. Et cui tandem id mirum videatur, quando partium Corporis, quae ad Mentis operationes faciunt, tanta eſt ſubtilitas, quae omnem ingenii induſtriaeque humanae vim eludat? Quapropter etiam haud raro evenit, ut in cadaveribus eorum hominum, quibus, dum viverent, hoc actionum genus maximopere perturbatum fuerat, nec quidquam tamen admodum corruptum, aut quod notabiliter a naturali ſtatu receſſerit, vel accuratiſſima ſcrutatione invenire liceat.

Praetcrea illud quoque nemini ob-

ſcurum eſſe exiſtimo, rem aliquam, quae mere corporea ſit, quamque milleni homines impune ferant, nihilominus in uno quodam, cui nec tam ſingulariter fabrefactum eſſe Corpus animadvertere poſſis, graviſſimos atque intelligentiam humanam ſuperantes in Animi facultatibus effectus aliquando parere.

Quotieſcunque igitur Mens etiam ita aegrotat, ut corporea cauſa, quam arguas, abeſſe videatur; non ideo ſtatim reputandum eſt, malum extra Artis Medicae poteſtatem eſſe, atque, cum a cauſis non corporeis illatum ſit, ſimilia etiam remedia duntaxat requirere. Longe profecto difficilius eſt, quam plerique opinantur, ex vero diſcernere, utrumne ſua, an Corporis, culpa Mens laboret. Et quicunque attentius, quae ſupra a me propoſita ſunt, & exempla, & argumenta, ſecum perpendit, niſi me omnia fallant, fateri omnino cogitur, tum etiam, quando nulla plane Corporis affectio apparet, frequentiſſime tamen aliquam latenter ſubeſſe. Quouſque autem in ancipiti res eſt, nec certo conſtat, ex utra ho-

minis parte morbus originem ducat; quis non videt, consultissimum fore, primam atque præcipuam in Corpore mutando operam ponere? Quum hoc neglecto, omnique cura ad solam Mentem conversa, periclitemur, ne, si ad Corpus forte labes tamen pertineat, quam initio tollere haud difficile fuisset, ea tempore invalescens, atque inveterata tandem, adhibitam serius medicinam prorsus respuat. Neque objici potest, aequale futurum periculum, si contra Mens forsan in vitio fuerit: tantum enim abest, ut Animi motus, qui non a Corpore jugiter sufflantur & fomitem trahunt, mora increscant, & sua vi acrius incitentur, profundiusve radicentur; ut etiam sensim languescere & sponte demum extingui observemus.

Postremo, si quae aliquando nascuntur Animi aegrotationes tam purae, tamque a Corpore semotae; ut istud nullam plane earum partem efficere dicendum videatur: audeo tamen asserere, ne in hoc quidem genere nullam consilii Medici fore utilitatem. Quemadmodum enim Corporis affectiones facile cum Animo communicantur; ita

isto vicissim male constituto illibata sanitas Corporis partibus diu constare non solet. Inde autem, qui primum simplices solius Mentis fuerant morbi, neque extra hanc aliquid causae, aut fomitis, habuerant, cum paulatim in Corpus transeunt, hujus actiones depravando materiem sic sibimet conflant accumulantque, qua, veluti pabulo quodam, sese non tantum diutius sustentare ac fovere, sed etiam magis magisque exacerbare possint. Quae res cum in Hypochondriacis & Melancholicis tam frequenter eveniat, notissimis illis loquendi formulis, quibus eorum alii *cum materie*, alii *sine hac*, laborare perhibentur, inter Medicos originem dedit.

Itaque perspicuum esse arbitror, istiusmodi quoque aegritudines, aliqua saltem sui parte, neque uno duntaxat nomine, ad forum Medicum pertinere. Etenim recenti etiamnum malo tuendum Corpus est; ne Mentis afflictae commercio ac efficacitate una in morbum pertrahatur, novisque dein accessibus illius perturbationem jugiter augeat. Inveterato autem, nisi congesta in Cor-

pore, atque indies ſuccreſcens, materies expugnetur, aliam quamcunque medelam in caſſum adhiberi evidens eſt; quando permanente Corporis labe, quae Mentem iterum iterumque afficiat, hujus ſanatio exſpectari nequit.

Imo ne duae quidem illae, quas modo nominabam, partes univerſum Medici in iſtis morbis officium, aut omne, cui praeſtando par eſt, auxilium exhauriunt. Quodſi enim obſervatio docet, ut ſupra memoravi, Mentem pro varia Corporis, quocum juncta eſt affectione diverſas habere perceptiones, inque ſuis turbari ab illo poſſe operationibus, atque alias, ne, quae velit, cogitet impediri, alias etiam veluti cogi ad ea, quae Corpus jubeat, cogitandum: Medicus profecto, iſta mutuae conjunctionis vi legitime utens, ſuis in Corpus remediis ita agere poterit, ut Animi relevetur aegrotatio; etiamſi nullam ejus cauſarum effectuumve, qui in Corpore inſunt aut metuuntur, rationem habeat.

Praeſto ipſi inter artis ſuae inſtrumenta ſunt, quae Animum motu vio-

lentiore agitatum componat; quae pertinacius rei cujusdam cogitationi inhaerentem avellant; quae, deletis ad tempus ideis, atque oblivione inducta, ad feriandum constringant. An Vobis id dubium videtur? Nescitis itaque, dato Narcotico, quod profundo Corpus somno consopiat, isthaec omnia effici.

Sunt in manu Medici auxilia, quae Mentem, cum a Corpore sese abstraxit, revocare; cum cogitare desiit, aut saltem cogitationum amisit conscientiam, expergefacere sibique reddere; quae nimis attentam atque in se reflexam interpellare, imagines justo diutius praesentes excutere, aliisque in earum locum substitutis perceptionibus ipsam occupare possint. Stimulorum, qui exagitant humores, nervos incitant, dolores inferunt, ista virtus est. At quanto eorum numero, quamque multiplici genere Medicina abundat!

Ex plurimis unum modo, eumque potentissimum, hoc loco commemorabo. Inveteratissima Animi vitia, amentias insanabiles, summa quandoque eradicat anxietas; vel quia horrendo tristissimi sensus supplicio casti-

gata atque perterrita Mens resipiscit; vel quod gravissima luctatione tota undique commota, & in penetralibus suis quassata, intime mutetur novoque sic ingenio induatur; seu alia demum quacunque causa id eveniat. Compertum est, homines prae moeroris amorisve vehementia mente captos; quum fortuito in aquam lapsi, atque aliquamdiu pro mortuis habiti, diligenti tamen curatione ad vitam rediissent; una cum hac plenam quoque Mentis integritatem recuperasse. * Apparuit autem, non in aqua positam fuisse sanationis insperatae causam, verum in angore immani, quem ex suffocatione imminens vitae corporeae deletio Menti intulisset. Quae observatio Medicos excitavit, ut in curandis Animi morbis istam etiam viam, quam casus monstraverat, haud intentatam relinquerent. Itaque inventa est, & in Medicinam introducta, submersio Therapeutica, terribile quidem remedium, at quo vix aliud datur majoris efficaciae, ubi vi mutati Corporis insanae Menti succur-

* *Fr. Mercur. Helmontii Observat. circa hominem ejusque morbos. pag. 33.*

rendum eſt : quemadmodum proſperis in Anglia conſtitiſſe ſucceſſibus idem teſtis eſt Helmontius.

Nunc videor mihi, A. O. Q. H. praecipua Vobis expoſuiſſe illius Regiminis capita, quod huic elegeram orationi argumentum. Plura ſuperaddere poſſem, quae ex dictis conſequuntur. Verum patientia Veſtra, qua nimio plus abuſum me eſſe ſentio ac deprecor, iſthaec vetat attingere : jubet prudentia, Veſtris potius ipſorum ingeniis eruenda committere.

Antequam tamen dicendi finem faciam ; Vos mihi verbo compellandi eſtis, o quotquot in arte ſalutari mecum deſudatis MEDICI! Ad nos iſta Mentis Humanae cura, de qua diſſerui, pertinet : noſtri nobiliſſima pars officii eſt, quam quo noſtrum quiſque diligentius excoluerit, eo pleniore ſenſu, ex Hippocratis effato, Medici Philoſophi nomine dignus, idemque Ἰσόθεος habendus fuerit. Quodſi enim iſta tantum omnibus numeris abſoluta eſt Corporis ſanitas, quae ſemet cum Animo communicet, quaeque huic nihil adferat impedimenti, quo

minus cum ad ſapientiam, tum ad virtutem, expeditiſſimus ſit; dicendum omnino eſt, eam demum quam maxime optabilem eſſe Corporis Medicinam, quae una & Animum adjuvet; neque artem noſtram prius perfectam conſummatamque fore, quam homines non modo robuſtiſſimos, verum etiam ingenio & moribus optimos, efficere valeat. Quandoquidem vero dolentes confiteri cogimur, iſtam Medendi ſcientiae partem longe graviſſimis laborare defectibus, dumque in ceteras fere omnes tanto hodie fervore incumbitur, ſolam tamen adhuc incultam adeo deſertamque jacere, ut propemodum tota deſideretur: Agite, O Boni! collatiſque in commune obſervationibus, experimentis, tentaminibus & ſi quod aliud eſt utilium conatuum genus, Medicinalem hanc Philoſophiam colite, exornate, perficite! Jubet argumenti dignitas, ſuadet artis incrementum, exigit denique humani generis amor, ut opus iſtud aggrediamini, neque relinquatis, priuſquam aut ſingulares diaetae, aut univerſales medendi methodi, aut remedia propria ſint inventa, quorum efficacia unamquamque Mentis fa-

cultatem relevare, roborare, acuere, cujuslibet vitia corrigere, propensiones inprimis, instinctus, impetus quoscunque, comprimere, incitare, moderari, ut fert necessitas, possimus. An molitionis magnitudo terrorem incutit? At in aliis rebus tantum abest, ut animum haec dejiciat, ut contra vel magis etiam accendat. Neque profecto insuperabilem quis ausit dicere, qui pauca illa, quae observando de ista materie innotuerunt, accuratius perpendat. Sola Febris quantum in Animo mutando valeat, quaeso, contemplemini! Quum vero praecipua ejus potestas in circuitus humorum mutatione posita sit; nonne perquam credibile est, diaeta atque remediis, quae circulationem definito gradu aut incitent, aut reprimant, aut aliter dirigant, haud parum effici posse? Quantum deinde major minorve sanguinis modus! Missione sanguinis vacillasse memoriam, neque, nisi jactura reparata, integram rediisse adnotatum est. * Iracundiam, ferociam, libidinem, plenitudine exstimulari, detracto sanguine defervescere, dudum constitit. Quocirca non minus sa-

* *Th. Barthol. Act. Med. Hafniens. Vol.* V. *p.* 169.

lutare, quam inusitatum, fuit Medici illius apud Naudeum † consilium, qui Uxorem suam, quum impurae Veneri fervidius inhiaret, repetitis creberrime venae sectionibus, atque id genus aliis remediis, simulatione terroris incussi adhibitis, eo usque debilitasse dicitur, ut fractam viribus & refrigeratam haud difficulter dein ab illicita consuetudine abstrahere potuerit. Etiamsi autem istiusmodi universalia non contemnendam in Mentis actiones vim habere, sic abunde pateat; in pharmacis tamen singularibus longe etiam majorem inesse, observationes docent. Ne vetustissimum illud, nec satis hodie cognitum Helenae Νηπένθες memorem; stupendam modo Vini, nimio plus pervulgati, considerate efficaciam! quae tanta profecto est, ut, qui illo recte uti sciat, in Animos hominum pro lubitu dominari posse videatur. Mitto Opium, cujus geminam Vino virtutem tanto magis miramur, quia in minimo pondere maxima est. Taceo aliud haud absimile, cui Ganscho nomen, plantae Malabaricae semen, cujus fumo ore ac naribus hausto amoena concitari deliria, militibus

† *Considerations Politiques. pag. 93.*

inſpirari magnanimitatem, ſacerdotes in enthuſiaſmos abripi perhibetur. Neque tetrum illud unguentum deſcribam, quo cum Sagae, quas vocant, ſua corpora perfricant profundo oppreſſae ſopore, in illud idem conſtanter phantaſma, tanquam ſi longo per aëra itinere in remotiora loca tranſvectae ſui ſimilium coetui immiſceantur ac tripudia agant, incidunt, imagine iſta tam firmiter impreſſa; ut expergefactae dein nulla ſibi ratione perſuaderi ſinant, inane ſomnium fuiſſe. Praetereo & complura alia, quae ſi pro dignitate enarrare vellem, alterius horae aqua mihi opus eſſet. Pauca, quae in medium attuli, ſatis, opinor, oſtendunt, nec inutilem fore, nec injucundam operam, quam perſpicaciores in re tanti momenti collocaverint.

Unum hoc ſupereſt, ut ſupremum, quo me ſolemniter abdico, quemque Tu, ſuaviſſime HEMSTERHUSI! capeſſis, Academiae Magiſtratum Tibi nobiſque omnibus quam feliciſſimum optem.

D I X I.


H. D. GAUBII
DE
REGIMINE MENTIS QUOD MEDICORUM EST

SERMO ACADEMICUS ALTER.

Habitus

Octavo Februarii M D CC LXIII.

Cum Fafces academicos iterum poneret.



SERMO ALTER.

Credo ego Vos, Auditores, miraturos esse, cum dixero, proposuisse me natali hoc Academiae nostrae die, cujus solemnitas sermonem pro concione a me postulat, de eodem argumento, quod ante hos sedecim annos Rectoris munere primum defunctus ex hoc suggestu tractavi, iterum verba ad Vos facere. Quid? Ausimne cramben bis coctam apponere? Proh vecordiam immanem! quae utrum cadere in me possit, Vos ipsos facio judices impavidus. An igitur materiae ubertas, oratione etiam ad fastidium usque protracta nondum exhausta, mantissam requirit? Intelligenti abunde dictum esse, utinam ne Vos minus, quam ego, sentiatis! Utrumne potius palinodiam canere animus est & curis secundis retractare, quae forsan erronea, aut male digesta, imprudenti olim exciderant? Doleo equidem vehementer, Mimum, an Mo-

mum? Gallulum non ita multo postquam in gradibus cathedrae hujus considens me dicentem audiverat, putidum * automatis sui humani scilicet! partum edidisse, eoque factum esse, ut nonnullis videretur, me sin igniculos ad enitendum, at materiem certe subdidisse homini ad monstrum illud expoliendum. Mitto inquirere, veriusne an suspiciosius id putatum fuerit. Dabo verius. Quis tamen id mihi vitio vertet, quod lascivientis ingenii petulantia, quae ego caste in medium protuli, absurdissimo non ratiocinii, sed cavillationis genere conspurcaverit? Quasi fas esset alimentum insalubritatis arguere, quia stomachi intemperie in bilem corrumpitur. Dudum profecto constitit, nihil tam verax, tam rectae rationi consentaneum, tam sanctum denique proferri posse, quo pessima minutorum Philosophorum secta ad exornanda suarum opinionum commenta abuti non audeat. Verum ne supervacanea excusatione culpam contrahere potius, quam abstergere videar, id unum addam, me de argumento Medicinali Medicis meis, Medicorum ritu, loquutum ex enarratis bona fide cum meis, tum

* *l'Homme Machine.*

aliorum, obſervationibus caute diſputando, naturae judicia elicuiſſe, propoſuiſſe; quae cum illo certi gradu collocata ſint, ultra quem intelligentia humana in cognoſcendis naturae operibus progredi nequeat, nihil me admodum invenire, quamobrem de ſententia decedam, rigidive virgulam cenſoris reformidem.

Nunc itaque, ne diutius praefatione mea ſuſpenſa exſpectatio Veſtra teneatur, dubium vobis eximam, Auditores, faciamque ut intelligatis, quam hodie decrevi tractare, materiem; tametſi eadem ſuperiori videatur; re tamen ipſa non modo longe diverſam eſſe, ſed etiam talem, quae neque hoc conventu, quem venerari debeo, nec Veſtro ſilentio, cujus mihi favorem expeto, nec denique perſona, quam dies iſte mihi impoſuit, indigna cenſeri poſſit. Dicam nimirum de REGIMINE MENTIS QUOD MEDICORUM EST: ſed ita dicam, ut, cum duobus illud capitibus olim oſtenderim contineri, quorum de altero tum diſſerui, alterum, quod eo tempore praetermitti a me debuit, ſermone perſequi cum maxime mihi conſtitutum ſit. Animadvertitis, Auditores, me, qui loquutus

antea fuerim de curatione corporis, qua mens vigeſcat, praeſidia valetudinis, quae corpori ex mente veniunt, hac hora ire enarratum.

Cujus equidem argumenti praeſtantiae commendatione ſi Veſtram ego, ut fieri aſſolet, benevolentiam mihi allicere ſuſtineam, vereor profecto, ne vel de Veſtris judiciis parum decenter videar opinari, vel quo plus augeam, eo Vos magis ad oratoris diffidendum tenuitati adducam. Sola igitur fretus urbanitate Veſtra, qua me, quotiescunque ex hoc loco verba facere debui, eſtis proſecuti, ut hac etiam hora linguis auribusque faveatis, oro atque obteſtor. Quod cum a Vobis impetravero; quanquam materiae dignitati exile dicendi genus forſan detraxerit; eum nihilominus audientiae Veſtrae fructum conſequemini, ut ampliſſimus Vobis rerum pulcerrimarum aperiatur campus, in quo jucunde non minus, quam utiliter, propria meditaione poſſitis exſpatiari.

Ut igitur ordine procedat oratio mea, primum, quas corporis ſui œconomiae cum noxias, tum ſalutares, inferre mutationes animum poſſe obſervatio doceat,

in medium proferam, nihil admodum sollicitus de ratione earum reddenda, aut, quo fiant, genere actionis explicando; cum haec etiam ultra, quam a Medico requiri debeat, ante tractaverim, neque fateri erubescam, hodie vel magis, atque illo tempore, a me ignorari. Quam observatorum seriem si exposuero, non difficile deinceps fuerit, quae animus promere possit, secundae adversaeque valetudinis praesidia elicere.

In animo, etsi natura simplex videatur ac individuus, duo inesse agendi principia, eademque multum inter se diversa, si per Vosmet ipsos, Auditores, sensu quodam interiore nondum didicistis, nec mihi quoque olim asseveranti estis adstipulati, credetis tamen, spero, sapientissimis inter antiquos Philosophis, Pythagorae ac Platoni, qui, Cicerone teste, * animum in duas partes diviserunt, alteram rationis participem alterum expertem: in participe rationis posuere tranquillitatem, id est, placidam quietamque constantiam; in illa altera motus turbidos tum irae, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi. Ita

* *Tuscul. Quaest. libro* IV. *c.* 5.

eſt profecto. Attendenti ad ea, quae in ſe ipſo quisque experitur, illud quidem oportet reddi manifeſtiſſimum, in animi actionibus alias ineſſe moderationem, ordinem, conſtantiam, aequabilem tenorem, cohaerentiam, perſpicuitatem; alias contra inconditum quiddam, vagum, deſultorium, caeco ruens impetu, abruptum, turbulentum. Quae cum tantopere diſparata ſint, ut etiam oppoſitis quaſi frontibus inter ſe pugnent, qui credat ab eodem agendi principio repetenda eſſe, eum profecto contrariis etiam effectibus unam eandemque tribuere cauſam oporteat. Et hoc ipſum ſi cuiquam non videatur abſonum aſſerere, at illud tamen fatendum erit, in utroque genere modum agendi multo eſſe diverſiſſimum, & mentem, cui ratio praelucet, a ſemet ipſa perturbata, quam quae maxime, differre. Verum de iſta re cum antea prolixe a me diſputatum ſit, ea ſolum de cauſa hoc loco aliquid memorandum duxi, ut, quem mihi ordinem in argumenti mei tractatione deſignaverim, animadvertatis.

Tametſi enim recte exiſtimatur, animum, qui compos ſui ac tranquillus ra-

tione duce utatur, tanto & corpus ſuum, & in hoc ſemet ipſum amore complecti, ut illius incolumitatem, qua ſine aegritudinis ſenſu carere non poſſit, omni ſtudio & contentione tueri debeat, nec admittere quidquam aut committere, quod valetudinem perturbet; multo tamen aliter evenire tam cotidianum atque apertum eſt, ut demonſtratione vix indigeat.

Neque mehercules ea eſt rationis humanae felicitas, ut animum certa ubique veritatis luce colluſtret, rectave ſemper incedere via faciat, nec aberrare ſinat. Cum enim in plerisque rebus dijudicandis difficile eſt humanitati errorem cavere, tum vero maxime in illis, quae ſalubres aut inſalubres habentur; ut quarum multitudo operoſam, at natura etiam valde ambiguam reddat aeſtimationem. Itaque nec mirum eſt, in tanta ingeni humani imbecillitate multimodis quotidie, tranquilla etiam mente, in detrimentum corporis peccari, raroſque eſſe, qui non aliquando impingant.

Dies me deficiat, ſi, quae patrantur, innumerabiles errorum ſpecies recenſere ſuiſque ſingulas exemplis comprobare

velim. Ne memorem, quoties ignoratione miſerabili offendatur, quis eſt aut quotusquisque, quem vel novitatis ſtudium, vel mores ſeculi & imitatrix aliorum imprudentia, vel nimia virium propriarum fiducia, fallaxve conſuetudinis praeſidium & ob tarditatem poenae ſperata delictorum impunitas, aut inexcuſabilis negligentia non quandoque transverſum agat, ut nec ſervandae, qua fruitur, ſanitati, nec, cum caret, recuperandae, ea, quam res exigit, animi cura proſpiciat? Mille modis luditur in re ultra, quam dici poſſit, aeſtimabili: & cum cujuscunque ſortis hominibus commune illud vitium ſit, doleas profecto, inſtinctum in animantibus brutis rarius, quam noſtro in genere rationem inſanire.

Illic ſapientiae magiſtrum conſpicio, qui ſolidos dies in ſitu muſei tranſigens, neglecta corporis exercitatione, devorandis libris tam totus inhiat, ut ne vel horulam aeſtivi ſolis concedere ambulationi velit, qua pulmo ſqualens liberioris aurae uſu recreetur. Hunc tu mihi moneas, ores, objurges, obtundas: fruſtra eris, dolensque demum tacebis, cum pi-

tuita oppletum pectus, artus rigeſcentes, aquoſo turgidos humore pedes, imparem motui Sophum ad quieſcendum cogere videris. Glorioſum ſcilicet eſt per ſapientiam ante diem mori!

Huic jam, Auditores, alium opponite ferreae naturae hominem, qui cum valentiſſimo corpore felicique adeo ſanitate gaudet, ne ſua ignorare bona videri queat, iis utitur perquam liberaliter, ſuoque genio ſtrenue indulget. Nimirum nihil eſt in cibis, potibus, aëre, vigiliis, exercitationibus, ceteris, tam immodicum, quod non ferat impunitus. Itaque & Medicum ridet, qui temperantiam ſuadere auſit, oblitusque repetitis ictibus diffringi poſſe, quod uno nequeat, ſtolida ratiocinatione ſibi perſuadet, quod heri aut hodie non nocuerit, nec cras, nec unquam nociturum. O dementiam incredibilem! O caput tribus Anticyris minus, quam proprio maturatæ mortis experimento ſanabile!

Utinam vero ſibi duntaxat ſolis id genus hominum deſiperet! Verum videas aliis etiam peſſima ad imitandum exempla proponere. Quippe non datum cuivis eſt ſuo ſe modulo ac pede metiri.

Quo fit, ut natura debiliores, quae a fociis fuis impune fieri ferrive animadvertant, fibimet etiam tuto licere exiftiment, nec malis quoque eventibus abfterriti mature defiftant, vana fpe freti fore, ut confuetudine natura tandem occallefcat. Itaque miferi, peccatum inter & poenam continue luctantes, cum Phrygibus demum fero fapiunt.

Nec multum difpar eft eorum vefania, qui oculis in eadem exempla defixis ex comparatione nimio plus fentiunt, quanto fint illis infirmiores, mallentque idcirco horum, quam fui effe fimiles. Sua igitur non contenti forte, alieni tamen a priorum temeritate, contrarium in vitium ruunt, omnem corroborandae valetudinis fpem in affiduo remediorum ufu collocantes. Quafi vero fanitatum differentiae non perinde, ac facierum humanarum, ftatis naturae legibus continerentur, Medicisve datum effet ad eumdem quaslibet modum coaequare. Erronea opinio! qua occupati, praeterquam quod fcopo excidant fuo, quaffis etiam abufu medicaminum naturae viribus, plerumque ante tempus deficiunt, digni, quorum in tumulo epitaphium,

quod inter Italos extare perhibent, Latina phrasi non reddendum, inscribatur: *Stavo ben, ma per star meglio, sto qui.*

An plura desideratis, Auditores, specimina? Dicamne de noxis, quas corpori suo inferunt delicatae virgines, matronae praegnantes, belluli adolescentes, cum levium flatu ingeniorum sese impelli sinunt, ut, omissa sanitatis cura, universam vitae rationem ad mores seculi toties variantes fingant, atque vestitum, ornatum, victum, convictum, oblectamenta, quotidiana mutent interpolatione, raro ad salubritatem magis, quam ad luxum comparata? An curationes perstringam prophylacticas, quae uti verno ac autumnali tempore a multis indifferenter, nec nisi propter morem, celebrantur, ita longe frequentius irritamenta sunt, quam praesidia morborum? Num vero stupidam querar illorum credulitatem, qui cum naturae hujusque ministrae arti diffidunt, non dubitant tamen, quod homini carissimum esse debet, vitam ac sanitatem ventoso agyrtae, pharmacopolae, barbitonsori, quid dico? malo sutori capita sua credere, cui pedes nemo calceandos commiserat?

Verum pudet plura ejusmodi rationis humanae opprobria in medium proferre, quae nec auditu vobis jucunda esse possunt; cum nostrum cuique consimilis stultitiae aliquando commissae recordatio animum subire tacitoque debeat pudore confundere.

Pergo potius pro instituto meo ad mentem perturbatam, quae cum & legibus solutam, & longe violentiorem in corpus potestatem usurpet, quanto illud atrocioribus afficere malis valeat, non difficulter cogitatione licet praecipere. Dicam vero de his liberius, quia impotentiae excusationem habent, sin justam, at quae probari posse videatur, ideoque plus misericordiae, quam indignationis, merentur.

Equidem hoc Philosophos, fateor, jure ab animo exigere, ut suum illud Ἐνορμῶν rectae rationis freno cohibeat, ejusque moderetur impetum, nec ultra, quam par est, sinat prorumpere. Sed quotus, quaeso, quisque tanta est aut tranquillitate, aut constantia, ut in illa casuum fortuitorum, quibus continue patemus, incredibili multitudine non aliquando consternetur? Quoties autem &

fallaciae perceptionum, & imaginationum figmenta, & judiciorum errores fucum mortalibus faciunt? Corpus ipſum aetate, ſexu, temperie, vitae genere, morbo, mobilius ac incitatius ſuas etiam partes hic agere, animumque ſaepe invitum & reluctantem de ſtatu ſuo dejicere, cum domeſtica quemque experimenta docent, tum ſuperiore ſermone abunde puto demonſtratum. Itaque ſi cauſam animi nunc agerem, facile mihi foret quam plurima afferre, quibus aut culpam ejus tenuarem, aut certe deprecarer. Sed ſentio abs me requiri, ut ipſa potius, quae corpus ab illo patitur, maleficia enarrem: quod equidem quemadmodum ordinate ac decenter faciam dubito. Tantus profecto eorum numerus eſt, tam multiplex ingenium, nec adeo ullum morbi mortisve genus, quod ex hoc fonte non promanet, ut qui recenſere omnia & ſingula velit, univerſam fere Νοσολογίας Medicinalis complexionem exhibere teneatur.

Omitto lubens, quaecunque animus ex affectione corporis laborans, organorum vitio perplexus, vehementia motuum febrilium agitatus, dolorum ango-

rumve intolerantia desperabundus, in oeconomiae dispendium ipsiusque vitae perniciem aliquando committit; quae cum ex corpore primam habeant originem, huic quoque imputari fas est. Illa volo, quae mens suopte impetu conturbata patrat, cum cogitatione in bonum malumve, quod rebus subesse credit, reflexa appetitus concipit vel aversationes, quibus & acrius & tenacius, quam rectae rationi congruat, inhaeret. Quis autem vestrum est, Auditores, qui ignoret, quantum in exteriorem corporis speciem valeat commotus animus? & quomodo diversa quaelibet ejus affectio alias atque alias vultui, oculis, fronti, ceterisque partibus externis mutationes inducat, quibus velut propriis characteribus, singulae suis, se foris expictas ita prodant, ut frustra quis fenestellam in pectore desideret ad ea, quae mens inquieta intus agitet, cognoscendum? Haec igitur tot ac tanta cum extrorsum in cutem prorumpant, cogitate! quanto vehementius interiora, unde illa profluunt, turbari debeant; ut quae cum longe minus habeant ad resistendum firmitatis, tum vero munia obeant ad salutem oeconomiae momenti multo maximi.

Horreſco repetens, quae hiſce oculis videre mihi contigit, quae narrando accipere, ab irato animo illata corpori maleficia. Huic turgens bilis in imi ventris ſaevit viſcera, vomituque, alvi profluvio, cholera, ictero, turbat omnia. Illi cum tempeſtas in ſanguinis circuitum irruit, funeſtiſſimae excitantur febres, ardentes, inflammatoriae, putridae, exanthematicae, malignae; aut verſo in cordis penetralia impetu aneuryſma inſanabile. Alias nec propriae mentis officinae parcitur: neque enim brevi ſemper furore ira detonat, ſed inſtrumentis ſenſuum motuumque vitio irreparabili corruptis, in ſpaſmos, phrenitidem, maniam, paralyſim, apoplexiam aliquando praecipitat. Et iſta quidem tam atrocia vel fortiſſimis accidunt hominibus. Quam longe igitur immaniora infirmis, valetudinariis, morbo aliquo affectis, ex morbo revaleſcentibus, ſicubi vehementer excandeſcunt, evenire oportet? Teſtes ſint febricitantes, podagrici, epileptici, colici, aſthmatici, calculo affecti, hyſtericae, gravidae, puerperae, quibus, cum ira turgent, ſaepiſſime, quo laborant, morbus augeſcit, novo ſuperveniente aggravatur, ex mi-

tiore in malignum vertitur, properantur acceſſiones, optatiſſima naturæ & artis auxilia pervertuntur, pro ſalute mors inducitur. Leviſſima ſic quandoque vulnera in lethalia evadunt, ipſi quoque percuſſori ſupplicium capitis illatura, niſi prudens gratioſae Facultatis judicium intercesſerit.

Miramini, Auditores, & merito ingentem miſeriarum numerum, quas ſola ira, tanquam e pyxide Pandorae, in corpus effundit. Neque tamen difficile eſt tantae originem atrocicatis invenire. Praeterquam enim quod liquide conſtet, vires motrices, per omnia corporis organa diffuſas, ſub illo mentis impetu quam graviſſime incitari, totamque idcirco compaginem & cuncta intus cum viſcera, tum vaſa, quosque continent, humores, violentiſſimis agitari motibus; obſervatione etiam multiplici, quod fere fidem ſuperat, compertum eſt, nativas ſuccorum proprietates tantopere alienari, ut ex blandis in acres, ex ſalubribus in nocivos, imo in virulentos celeritate incredibili corrumpantur. An dubitatis? Mulierem profero hyſtericam, quae cum fremens ſuo corripitur malo, omnes & colo-

colores & acritates vitiatae bilis eructat. Nutricem, cujus iratae ubera lactenti pro alimento venenum inſtillant horrendis convulſionibus lethale. Animantia cicura, domeſtica, quae laceſſita & rabiem ipſa contrahunt, & ſpumante ſalivae tabo in hominem demorſum transfundunt. Galli gallinacei duo, ferociter pro more ſuo inter ſe pugnant: accurrit homo, intercedit, mordetur ab illorum uno, perit ex vulnere hydrophobus. Excuſabitis forſan hominis & beſtiae differentiam: dabo igitur & noſtri generis exempla. Miles cum muliere rixatur, haec manum ejus morſu ſauciat, homo rigore prehenſus moritur. Juvenis Italus, ira percitus, vindictae impar, proprium mordet digitum, ac lethali aquae metu, tanquam a rabido cane demorſus, corripitur. Sentio equidem, nec fateri vereor, neſcire me modum, quo peſtilentes adeo in humoribus corruptiones tam ſubito ſuſcitentur: ſed illud tamen exiſtimo conſequutum me eſſe, ut intelligatis iſta animi perturbatione univerſa vitae fundamenta convelli, nullamque idcirco eſſe oeconomiae humanae functionem, quae intemerata tantae reſiſtere valeat atrocitati.

Quae cum ita sint, neminem Vestrum, Auditores, nunc esse opinor, qui non salutis propriae causa cum maxime optet ac tacite secum constituat, quacunque data irascendi occasione sibi inposterum temperare. Sapiens ac laudabile propositum, nec tamen cuique aut semper salutare! Equidem celare Vos nequeo, cohibitas etiam iras suis non usque quaque noxis carere. Etenim ut mustum fermentans, cui spiraculum non concesseris, dolio vim infert; haud aliter animi fervor, quem cohibere ratio studet, placare tamen non potest, quo minus sinitur foras prorumpere, eo plerumque acrius in ipsum corpus grassatur. Dolui, nec adhuc dedolui funus acerbum Viri fama meritisque toto orbe celeberrimi, cui & quadrati corporis robur, & moderata per omnes aetates vitae ratio, & vota publica, annos Nestoreos promiserant, non alia de causa praecipitatum. Natura nimirum iracundus, sed sapientiae studio irasci dedoctus, cum inopinata gravique aliquando contumelia lacesseretur, iris quidem compressis, intime tamen adeo vehementer concussus est, ut nato in ipsis vitalibus vitio praematuram eluctari mortem non potuerit. Plura

darem; ſed ſentio me ob materiae ubertatem diutius, quam par eſt, in uno animi motu inhaeſiſſe.

Itaque ad triſtitiam progredior, qua, cum in fletum ac ejulatum non erumpit, ſed intro repreſſa & longo tempore fota tenacius inſidet, non minus corpus, quam animum exedi conſumique nemo quisquam ignorat. Languent ſub diuturno moerore vires motrices omnium oeconomiae ſyſtematum, nativus firmarum partium vigor fatiſcit, motus vitales, naturales, animales torpent: unde lentus ſanguinis circuitus; atrabilaria humorum ſpiſſitas, acrimonia, anorexia, apepſia, inedia, atrophia, viſcerum obſtructiones, icterus, ſcirrhus, hydrops, melancholia, fatuitas, paralyſis, catalepſis, lethargus, mors conſequuntur. Quos hiſtoria Medicinalis exhibet, ſopores Endymioneos, in menſes & annos protractos, dumne ſubleſtae ſint fidei, vix aliunde, quam ex dolore animi profectos invenio. Hi tamen quia ſenſum modo, nec vitam, eximunt, duratione magis, quam periculo, terrent. Illud gravius eſt, ſubitaneis etiam r[illegible]ubus famoſum eſſe moerorem. Auſim Nioben

& Heliadas producere teſtes, illam prae moerore in ſaxum, has in arbores converſas: nec enim nihil in Poëtarum commentis ſubeſſe veri quis aſſeruerit? Sed ambiguis abſtinere malim, dum in promptu habeo certiſſima.

Ex multis unum accipite a Michaële Montano * memoriae proditum! Rege Ferdinando adverſus Viduam Regis Hungariae Joannis bellum gerente, unus ex cataphractis equitibus, ferrea ſub perſona ignotus, cum in conflictu quodam prope Budam oppidum commiſſo inuſitata virtute ac fortitudine prae aliis emicans omnium in ſe oculos converteret, acie tandem percuſſus cadit. Laudant cuncti ac dolent egregium militem, praelioque finito urgent, quisnam eſſet cognoſcere. Adſtat & funeri, cum galea detrahitur, Nobilis Germanus, nomine Raïſciac, raro heroici animi exemplo inprimis commotus, ſuumque eſſe proprium filium agnoſcit. Miſerans corona verbis lacrymisque dolorem declarat: ſolus ille ſilet, ſiccis in filii cadaver defixis oculis ſtupet, obrigeſcit ac derepente humi proſtratus exſpirat. Alterum ſuccur-

* *Eſſais de Montaigne*, *l.* 1. *ch.* 2.

rit geminum, recentius, quod cum tetigero, non pauci Veſtrum, Auditores, ſtatim recordabuntur. Amicus quidam meus, Vir in hac urbe honoratus, accepto mortis inopinae fratris ſui nuncio perculſus, curru mox conducto Hagam Comitis ad aedes funebres properat, videt defunctum, obſtupeſcit, conſidet, defatiſcit, de ſella prolabitur exanimis, eademque exſequiarum pompa ſimul cum fratre ad ſepulcrum exportatur. Usque adeo contriſtatus animus & ſeſe ipſum contrahit, & humorum vitalium corporis ſui fluxum ſuſpendit, ut coacto in cor & pulmones ſanguine ipſius vitae ſuffocatio quam ſubitiſſime immineat.

Quae metus, livor, odium inducunt, mala non abſimilia lubens praetereo; ne crebra repetitione Vobis faſtidium moveam, aut culpam animi ſic ſatis gravem augere velle videar.

Terror ſupereſt, motuum animi truculentiſſimus, cujus cum occaſiones in vita communi prope inevitabiles ſint, & praeceps invaſio vel praeſentiſſimam rationem antevertat; non eſt, cur quis miretur, exemplorum, quae funeſtas illius conſecutiones declarent, plena eſſe om-

nia. Proferrem, quae ad manum ſunt, longe cum plurima, tum maxima, niſi otium facerent cortidiani hominum ſermones, quibus vix aliam audias morborum mortisve cauſſam uſurpari frequentius, quam terrorem. Tanta profecto eſt noxarum ejus multitudo, tam incredibilis atrocitas, ut cum ceterae animi perturbationes ſuo ſingulae modo infeſtent, terror modis omnibus & quovis veluti armaturae genere graſſetur. Veſtra igitur abuti patientia videar, Auditores, ſi pluribus verbis jam exponere velim, quot & quam graves ſaepe intulerint affectiones etiam inania illa quidem, ſed deteſtanda terricula, quibus gaudere [illegible]ans ſolet adoleſcentia, aut inconſiderate pacare pueros non verentur mulierculae: ſi commemorare dolores, angores, aphonias, lipothymias, tetanos, tremores, convulſiones, epilepſias, catalepſes, apoplexias, paralyſes, deliria multifaria, mortes ſubitaneas, quae toties adultis, ſanis, robuſtis, at quanto frequentius! ſenio confectis, ſexu, temperie, vitae genere delicatis, aut morbo infirmatis, ex terrore accidiſſe quorumvis temporum memoriae declarant: ſi allegare claros in arte viros, qui

obſervationum pondere permoti peſtilentiae ceterorumque, qui contagione per populos ſerpunt, morborum originem a terrore ac metu unice repetendam eſſe opinantur: ſi excitare tot foetus uterinos, non dicam abortione peremptos; id enim exiguum eſt & nimis familiare; ſed naevis, maculis, vitiis omne genus deformes, plagis vexatos, mutilatos artubus, capite truncatos, crurifragio quaſſos, mille modis ab humana ſpecie alienatos, quorum miſerias phantaſiae praegnantium, ab incuſſo terrore prodigioſam agendi poteſtatem nactae, deberi, ut innumeris vulgo documentis perhibetur, ita nec ignobilibus ingeniis non incredibile videri potuit.

Sentio equidem me nimis longum eſſe in rebus apertiſſimis; tametſi multas praetereo, ſingulasque leviter modo & velut in tranſitu attingo: nec poſſum tamen, quin Vos tantisper adhuc in eodem argumento detineam. Etenim credetis forſan, illud ſolummodo perturbationum animi genus, quod illaetabilis opinati mali cogitatio inducit, ea, quam dixi, ſaevitie per corporis organa tumultuari; at cum jucunda opinati boni imago illicit

atque inflammat, quaecunque ſurgat incitatio, nihil admodum nocere, ſed utrique potius parti benefacere. Quae res cum multo aliter ſe habeat, facile, ſpero, id mihi concedetis, Auditores, ut exempla aliquot paſſim obvia proferam, unde intelligatis, alterum iſtud animi motuum genus, ſicubi vehementius exarſerit, ſimili atrocitate, pari impetu, gemina tyrannide oeconomiam corporis opprimere.

Taceo, ne longius diſcedam, triſtes effuſi riſus conſecutiones, qui ſtolidae comes laetitiae cum in violentos prorumpit motus, multoties ſanguinis ſputa, pleuritides, peripneumonias, animi deliquia, convulſiones & vel mortes infert ſubitaneas. Nec memorabo graves eas quidem, ſed non immeritas illorum poenas, qui caeco effraenatae libidinis impetu abrepti, pro ſuo quisque inſtinctu, in omne voluptatum genus proruunt, immoderata vitae ratione fractis naturae viribus tandem defatiſentes. Iſta nimirum etſi primitus ab animi intemperantia naſcuntur, ſecundaria tamen ſunt propioresque in corpore prius vitiato cauſas, quibus debentur, agnoſcunt. Po-

tiora dabo & magis huic loco propria, quae fervens concitatusque animus ſuopte motu in venas medullasque diffuſo patrat.

Deſiderio rei concupitae longius protracto quam labaſcit vigor tenorque functionum, marceſcit corporis habitudo, univerſae vires oeconomiae languent & concidunt! Num quid fortiſſimas inter gentes nonnulli dantur homines, quos, cum in exteris regionibus aliquamdiu moratos repetundae patriae inceſſit cupido, cui non mature obtemperent, invaletudines infeſtant heteroclitae, ſpe domum reditionis ſublata etiam poſtremo lethales? Quoties formoſae virgines? Quoties floridi adoleſcentes luride pallent, contabeſcunt, atra bile, chloroſi, erotomania conficiuntur, cum amore captis mora injicitur, aut ſpes adimitur potiundi? Ingraveſcunt autem haec mala, tantoque cruciant magis etiam in curatione Medicos; quum diſſimulatione aegrotantium, qui ſubeſt, affectus plerumque lateat, & ſaepe difficile ſit originem cauſae veram detegere. Odium parerent memoriae recentis exempla. Ut igitur ex veterum monumentis pe-

tam, prodeat Perdiccas, qui cum amore Philae, Regis, ſui patris, concubinae, flagrans de obtinenda deſperaret, compreſſo intus ardore graviter aegrotaſſe fertur, nec ſalutem recuperaſſe, niſi poſtquam Hippocrates callide animadvertens, quoties accederet Phile, mox aegri pulſum mutari, detecto ſic morbi fomite, exorato patre, participem voti tandem reddidiſſet. Non abſimile eſt, quod de Antiocho, Seleuci Syrorum Regis filio, Plutarchus refert, cujus ex amore Stratonices, patris ſui uxoris, natam aegrotationem, cum nullis cederet remediis, imitatus Hippocratem Eraſiſtratus & felici conjectura eſt aſſecutus, & paterna concupitae ceſſione demum perſanavit. Sexum amabilem occultos Cupidinis igniculos non magis innoxie ferre, cum mulier Pyladis pantomimi amore languens apud Galenum teſtatur, tum hodie etiam ſuo quandoque commodo Medentes experiuntur.

Attamen haud diffiteor, quae in medium attuli, ejuscemodi eſſe, ut videri poſſint ob appetitum quidem, ſed negatum boni opinati uſum, ad triſtitiam potius ac moerorem pertinere, neque adeo,

quod propoſueram, plene evincere. Laetitiam igitur ſpectemus, quae praeſentis boni opinione geſtiat atque exultet, quae ſecura nihil quidquam commixtum habeat amaroris. Eamne animi elationem, Auditores, ab omni parte ſalubrem, prorſusque corpori innocuam eſſe autumatis? Immo vero etiam quandoque eſt lethifera. Conſulite, quaeſo, ne recenſione nominum Vobis moleſtus ſim, Plinium Majorem! Interrogate A. Gellium! Dabunt illi complures, quos repentina immodici gaudii commotio exanimavit. Leonem, decimum ejus nominis Papam, cum optatiſſimum expugnati Mediolani nuncium accepiſſet, laetiſſime adeo gaviſum eſſe, ut febri prehenſus aliquanto poſt exſpiraret, clarus Italicae hiſtoriae ſcriptor Guicciardini memorat. Noſtra aetate fama vulgatum eſt, Regis Perſarum Schah Thamas matrem, inteſtinis ſubditorum filii ſui motibus conſternatam, cum audiſſet ducem rebellantium Aszraff a ſtrenuo Regii exercitus imperatore Thamas Koulikan acie demum ſuperatum atque cum copiis ſuis in fugam eſſe conjectum, tanta geſtiviſſe laetitia, ut inde continuis aliquot diebus deliraret. Nimirum homines ita ſu-

mus comparati, ut omnem vitae ac ſanitatis incolumitatem atque conſtantiam ſola tueatur mediocritas, nec quidquam diu multumve ſine detrimento ferri queat, quod ab aequabili naturae tenore modoque deflectat. Perinde idcirco eſt, boni an mali opinione animus agitetur, morborum ſemper aut mortis imminet periculum, ſicubi, ut fieri ſolet, oeconomiae motus harmonicos ſua turbaverit incitatione.

Ignoſcite, Auditores, quod rerum impeditus multitudine in iſto veluti Martio humani generis campo, mille vulneribusque horribili, nimium diu Vos detinuerim! Et tu ignoſce, immortalis Anime! quod te, partem hominis meliorem, immo Divinae etiam, quod ajunt, aurae particulam, copioſa facinorum, quibus ſociatum tibi corpus affligis, expoſitione tam longum in reatu ſqualere juſſerim. Largior equidem, qua ſplendes, caeleſti origine naturam tibi puriſſimam vitiisque intaminatam contigiſſe. Num vero, ut alia taceam, non ſatis eſt in terreno corpore, quo detineris, in contubernali, quocum artiſſime copulatus es, unde labem contrahat nativa ſin-

ceritas? Quod cum sic satis antea tecum doluerim, quando aegritudines & turbas & impedimenta, quae tibi a conjuge tuo inferuntur, sermone singulari sum persecutus; poteras tibi fucum facere nimiumque blandiendo omnem turbatae conjugii tui tranquillitatis culpam in brutum corpus conjicere. Igitur nunc tibi quoque obvertere speculum oportebat, in quo temet ipsum tuasque contuearis actiones, & quae cum suasu, tum impetu tuo, vicissim in corpore nascantur, mala discas internoscere. Neque enim profecto aliter mutuam inter conjuges amicitiam vitaeque socialis commoditates restituere licet, nisi cum uterque agnita sua ipsius culpa resipiscit. Verum utilius esse arbitror te ipsum ista tecum loqui, & cum sentire mihi videar te poenitere, id jam nunc operam dabo, ut te rursus erigam, sordesque tuas occultem, & commemoratis, quae tua cum prudentia, tum incitatione, in salutem corporis praestantur, officiis bonitatem ac beneficentiam tuam, qua par est, laudum praedicatione augeam atque exornem.

Enimvero ad illud nunc venio, Auditores, quod pro ratione instituti mei po-

tiſſimum requiri intelligo, ut oſtendam videlicet, animi facultates, quas adhuc docui corpus non raro graviſſime turbare, etiam frequenter eidem benefacere, valentiſſimisque praeſidiis ſubvenire. Argumentum ſane, quod eo libentius tractandum ſuſcipio, quo dictu habet atque auditu cum jucundiora, tum uſu magis commendabilia; tale etiam, in quo pro cauſa animi exultare & triumphare oratio mea poſſit. Tot nimirum ac tanta hoc loco mihi celebranda ſunt beneficia, ut affirmare non verear, quantum ejus opera cum ad ſervandam, tum ad reſtituendam, ſicubi labaſcit, corporis ſalutem conferat, eo plus nullam poſſe in univerſa rerum natura virtutem. Grande aliquid ſonant, quae dico, Vobisque forſan incredibile. Verum tamen ſi quis paulo attentius apud ſe reputet, quantum valere oſtenderim animum in diverſimode mutando corporis ſui ſtatu, ut prorſus nulla hujus vel vis motrix ſit, vel functio, nulla viſcera, nulli denique humores, qui illius impetui queant reſiſtere, fallor vehementer, niſi longe difficilius ſit hoc credere, tantam illam animi poteſtatem, ſolummodo in perniciem directam, ſemper & occaſio-

ne quavis malefacere; quam legitima inductione illud aestimare, eandem, pro re nata, aequali efficientia etiam in bonum tendere, ac pro oeconomiae commodis laborare. Ite ad Medicos, qui per innumera certi experimenta docent, rerum violentissimarum usum saepe esse saluberrimum; morbos morbis anteverti, mitigari, exstingui; medicamenta dari, quae concitatis sua vi morbis demum feliciter sanant; plurima esse, quae cum valetudinem integram vehementer laedunt, afflictam relevant tutissime; itemque alia aegris nocere, quae sanis minime officiunt; venenis denique pessimis caute prudenterque adhibitis morbos domari quovis alio remediorum genere nexpugnabiles, & versa vice optima ceterum remedia intempestivo usu non raro in lethale venenum converti. Quae cum verissima sint, & causae, quam ago, ad amussim congruant, possem hoc argumentationis genere contentus acquiescere, nisi & rei dignitas, meique scopus sermonis pleniorem exigeret demonstrationem.

Primum igitur illud est, ex quo intelligi possit, mentem tranquillam, quae

recta ratione utatur, valetudini multimodis opitulari, cum & actiones suas, & quae tribuere corpori debet, ita componit & moderatur, ut neque desidia torpeant, nec labore nimio fatiscant organa, naturaeque necessitatibus convenienter satisfiat, quaeque officere quovismodo posse constat, solicite evitentur. An vero quisquam est, qui hoc vel verbulo sibi probari postulet? quando & sua quemque experientia & innumera aliorum exempla plus satis docent, immoderata vitae ratione nihil ad sanitatem esse perniciosius. Repetite quaeso, Auditores, quae modo exposui, mala cum plurima, tum gravissima, ex solis animi perturbationibus oriunda! Circumspicite: nam undique in oculos incurrunt: quae gulosis, ebriosis, lustronibus, ceterisque intemperantiae affeclis eveniant! Quoties attritis luxu viribus ante diem moriantur; aut media jam aetate non tantum senes sint, sed etiam ex alio in aliud invaletudinis genus praecipites vitam trahant, qua mortem habeas optabiliorem! Longe diversissima est, quam Tullius in Catone majore laudat, senectus; illa inquam, quae vitae ad rationis normam acccommodatae extremum est,

quam

quam temperantia per praegressas aetates studiose culta tam tarde leniterque inducit, ut diu se vixisse prius, quam consenescere, canum caput sentiat. Quamobrem multo etiam laetiore videas sorte frui complures mediae conditionis homines, qui cum ab ortu parentum vitiis non corrupti, neque molli educatione effeminati, labore tolerabili victum sibi amictumque, quoad naturae satis est, comparant, suis contenti rebus, placide sic aevum transigunt, ut curis vacui, nec divitiis ad luxum, nec ambitione ad vehementes animi motus stimulati, integra valetudine rarisque morbis turbata, longaevi, non tam languore, quam rigore senili tandem confecti, vivendi finem faciant. Vultisne, Auditores, ut superaddam, quantum in aegrotantibus animi tranquillitas valeat? Quam obsit intolerantia & morositas & incontinentia? Quas sibi noxas, quot Medicis in curatione taedia inferant, quid ad omnia refractarii eorum nihil, quae aut agenda, aut fugienda praecipiuntur, recte observant? An infinitas Vobis enarrem commoditates, quibus infirmi, valetudinarii, a morbo resurgentes gaudere solent, cum attento ad juvantia &

nocentia animo sibimet ipsis vivendi regulam naturae suae convenientem per experimenta propria constituunt, ad quam se religiose conforment? Nimius essem in re omnium notissima, actumque agerem, si, quos sentire aliter non ratio docuit, sed libido coëgit, multis nunc refutare vellem. Habeant isti suum sibi vulgare illud verbum: *Medice vivere, misere vivere*: eoque se consolentur, cum sero tandem ad sapientiam redierint. Unicum, patiamini, testem pro hac causa afferam, illumque omni exceptione majorem, Nobilem Venetum, Ludovicum Cornaro, qui cum adolescens, pro seculi moribus suisque fortunis, in luxum effusus, naturae suae vires tantopere protrivisset, ut inde a quinto & vicesimo aetatis anno ad quadragesimum usque continue valetudinarius, remediis omne genus incassum adhibitis, necquicquam eluctaretur, Medicorum suasu tandem rigidissima usus diaeta in tantum profecit, ut non unius modo anni spatio sese diuturna senserit aegrotatione relevatum, sed deinceps etiam in eodem abstinentiae tenore persistens, vitam non miseram, non senectute languescentem, immo integris animi corporisque muniis

vigentem, ad ultimos aevi humani terminos protraxerit, centenario major optabili demum ἐυθανασια exſolutus. Doceat eventuum diſparitas, utrum miſerius ſit voluptatum illecebris, an prudenti Medicorum conſilio auſcultare.

Atque haec de primo beneficiorum genere, quae corpori ab animo praeſtantur. Ad alterum progredior, quod equidem quonam nomine ſignificem, non ſatis me ſcire fateor. Certis videlicet occaſionibus ſeſe in homine qua ſano, qua aegro, determinati motus, impulſus appetitusque manifeſtant a conſueto naturae tenore ac ordine utcunque diſcedentes, qui cum in illis corporis partibus naſcantur, quarum miniſterio mens utitur, ad hanc ipſam igitur, tanquam ad fontem, unde promanet, eſſe referendos non videamur malè opinari. Quoniam vero hoc etiam apparet, veluti ex conſulto fieri, & propoſitum aliquod ſubeſſe corpori ſalutare, ad quod conſequendum etiam plerumque perquam ſint idonei; credas profecto non ſine rationis ſuaſu exiſtere, immo ſingulari prudentia excogitatos, data opera ab animo excitari, ut vitae integritati proſpiciatur.

Quod ſi tamen illud rurſum conſideres, animum eo tempore nullius conſilii propoſitive ſibi eſſe conſcium, neque ſolum in ſapiente iſta obſervari, ſed pari gradu in rudiſſimo quoque, cui ratiocinandi facultatem, certe in hoc genere, aut aetas, aut naturae defectus, aut vitae mores prorſus negarunt; dubitatio juſta ſubit, num quidem animo haec efficacitas recte tribuatur. Accedit, quod non diſſimilia in animantibus, quas rationis uſu carere multorum fert opinio, etiam longe expreſſius ſeſe oſtendant: quae idcirco, cum nec a corpore poſſent repetere, neque ad conſilium & prudentiam referre Philoſophi, ad neſcio quem inſtinctum confugerunt, qui non rationem ipſam, ſed ejus aliquid analogum, id eſt, quaſi rationem ſignificaret, vel ſaltem in unicam vocem concluſos enunciaret omnes id genus effectus, qui ex eodem principio, ſed ignorato, ducendi eſſe viderentur. Verum aliena haec a foro Medico extremis duntaxat digitis attingere debui, ut intelligeretis, de quali motuum ſpecie cum maxime ſim dicturus, eamque, ut in humano genere exiſtit, ſic ſatis congruenter ad animum poſſe referri.

Finem non inveniret oratio mea, ſi quae ad hunc locum pertinent, omnia & ſingula vellem exponere; ſi enumerare ac pro dignitate ornare, quae ex hoc fonte in corpus dimanant, beneficia; tanta profecto, ut majore pene cogitare non liceat, quae ſi abeſſent, nulla vel vitae tot inter neceſſitates conſtantia, vel ſanitati adverſus tot injurias foret incolumitas. Ex multis igitur pauca modo adducam, atque ut a nativitate ordiar, quid infanti, cum primum in lucem prodit, & deinceps homini per omnes aetates magis ad vitam neceſſarium eſt, quam reſpiratio? An autem corpus putatis motu ſpontaneo ſpirandi initium facere? Magis credibile animum: tametſi enim iſtius quaeſtionis explanatio etiamnum deſideratur; illud tamen inter Phyſiologos fere convenit, ſenſum aliquem ſive moleſtiae, ſeu neceſſitatis cujuscunque, recens natum eo compellere, & reſpirationem inter illas eſſe functiones, quas pro arbitrio regit moderaturque animus: vagitus etiam ac ploratus comitatur, ſtimulisque externis ad ſpirandum incitari poteſt, cum forte languens a partu puer opus inchoare ceſſat. Poſt aëris uſum non alia re minus, quam alimento, carere ho-

minem poſſe quis neſcit? Inde a primo ortu indoctus puer, materno uberi admotus, paratum ſibi lac ſtatim & expedite ſugit deglutitque. Quae quoniam muſculis voluntati obtemperantibus peraguntur, animus igitur eſt, qui ſua ſponte, aut, ſi mavultis, inſtinctu quodam compulſus, & quidem αὐτοδίδακτος, indigentiae corporis iſta ſuccurrit arte, quam ſi addiſcere prius, uti loquelam aut inceſſum, deberet, quis noſtrum vel ex cunis ſuperſtes evaſiſſet?

Brevitate temporis cogor omittere alia ejusdem generis quam plurima, quae etſi vulgo negliguntur, quia cotidiana ſunt & univerſae animantium naturae communia, tam eximia nihilominus utilitate ſeſe commendant, ut ſine iis vita humana, quid dico? tota hominum ſtirps dudum interiiſſet. Memoratu inprimis digna ſunt, quae in aegrotantibus obſervantur. Quemadmodum enim rebus adverſis vera demum probatur amicitia; ſic animus inuſitata ſui erga corpus amoris documenta tum maxime promit, cum natura morbo oppreſſa in anguſtiis verſatur. Videas hinc perditos etiam nepotes, quos peſſimo vivendi more, dum

valent, nihil magis curae cordique habere dixeris, quam proprii corporis perniciem, cum primum voti compotes in morbum incidunt, anxie mox opem circumſpicere, nihilque relinquere intentatum, quo cum ſanitate in gratiam redire queant. Injucunda nimirum doloris angorisve, aut impotentiae perceptio animum ita exagitat, ut vel invitus ad quaerendum remedium impellatur, illique etiam, qui medendi artem ludibrio aut odio habent, oborta aegrotatione non raro ſupplices ad Medicum confugiant, errorem deprecaturi. Haec animi in corpore afflicto inquies & ſolicitudo, haec eſt, Auditores, qua efficitur, ut aegri, cum tuto remedio, quod ſcientia aut ratio ſuadeat, deſtituuntur, dubium & anceps aliquid periclitari, quam nihil agere, malint. Haec eſt, quae immedicabili vexatos malo, dehortantibus licet Medicis, ad vaga urget tentamina, ut inconſiderate alia atque alia non deſinant adhibere, donec in pejus ruentes aut ſuas adaugeant miſerias, aut mortem ſibi accelerent. Haec eadem eſt, quae imperitiſſimas olim gentes herbis aliisque in auxilium vulnerum morborumque promptis inſtruxit, ut cum ſine Medico

fuerunt, nequaquam tamen fuerint fine Medicina, atque adeo ipfa medendi fcientia primam hinc originem duxiffe videatur.

Verum exiftimabitis fortaffe, que attuli, non tam inftinctum oftendere, quam fuafum confiliumque rationis, de qua re nunc, uti poffem, non libet difputare; quoniam planiora habeo, in quibus nulla eft dubitatio. Non attingam, quod pro diverfo corporis ftatu multifariam permutetur refpiratio, motuque vel accelerato, vel cohibito, tuffi, fternutatione, ofcitatione, fufpirio, pluribusque aliis formis oeconomiae incommoda fic levari foleant: at conjicite modo oculos in hominem fpiritus difficultate laborantem, & mirabundi notate, quanto animus ftudio non folum corporis fitum & compofitionem membrorum accommodet, fed omnes etiam mufculorum, quos fub fe habet, vires intendat, ut vitae periclitanti opituletur! Aliud! Putrore intus concepto febris in homine accendatur. Huic fi quis ex inedia dierum aliquot languenti cibos obtulerit materiae animalis, carnes, pifces, ova, aut ex his parata jura, refpuet praefra-

ꝏte omnia, nauſeabit, horrebit, etiam odorem aegre feret: quippe id genus edulia ſponte naturae in putredinem prona, cum in ventrem putrido imbutum deveniunt, quanto ocyus corrumpuntur, tantumque abeſt, ut nutriant, ut etiam mali fomitem adaugeant. Sapiens igitur faſtidium, aegrotanti perquam ſalutare, dignum, quod ſana ratio ſibi vindicet! Verum rudiſſimus quisque illud cum ſciente, ſtupidus cum gnavo, infans cum adulto commune habet: in delirantibus etiam ſe effert, imo & in brutis. Amplius quid dicam. Non acquieſcit animus averſatione noxiorum, ſed pari inſtinctu ſaluberrimos quoque concipit appetitus, qui perito Medico cum originem cauſſae declarent, tum digito veluti monſtrent, quo remediorum genere uti oporteat. Enim vero idem homo, aeſtu interno ſqualens, ſiti inexplebili potus deſiderat aqueos, acidos, refrigerantes, reficientes, conceſſisque pro lubitu & avidiſſime hauſtis mirifice delectatur, tanquam didiciſſet non dari alia, quae certius reſtinguere ardorem, acre mitigare, putredini reſiſtere valeant. Atqui ulterius etiam progreditur animi beneficentia. Nam quae vigente morbo inſatia-

bilis fuerat acidorum cupiditas, eodem declinante minuitur, tandemque plane ſuperato in horrorem convertitur, redeunte illorum, quae ante diſplicuerant, appetentia: ſecus enim nec proſtratae recuperari vires poſſent, nec priori contrarium in humoribus vitium evitari. Quodſi nunc his adjungere vellem, quae paſſim in praegnantibus ſeſe efferunt, cum faſtidia ciborum potuumque, tum mirabiles ad inconſueta, quin & abſurdiſſima ingerenda impetus, quibus perniciosa ſuccorum abundantia tuto leniterque antevertitur: ſi pallentes producere virgines, quae cum acido laborant, terreſtria illud abſorbentia nimium in deliciis habent: ſi exempla afferre hominum, qui poſtquam diu graviterque difficilibus conflictati morbis, nec naturae, nec artis auxilio relevari potuerunt, immodico tandem uſu rerum ſpontanea appetitione vehementer concupitarum feliciſſime ſunt liberati, Veſtra me citius patientia, quam dicendorum materies deficeret.

Itaque cum locus iſte ſic ſatis diu me detinuerit, id unum ſupereſt, ut vobis oſtendam, perturbationes animi, quan-

tumvis a recta ratione discedant, ea, qua pollent, efficacitate quam plurimum saepe emolumenti in corpus conferre, & quemadmodum Physici demonstrant, furentes per atmosphaeram turbines ac procellas fulguraque & tonitrua, etsi multoties calamitosa, aëris tamen ab inquinamentis repurgatione incredibiliter conducere; sic illas veluti humanae oeconomiae tempestates non tam constanter nocere, ut non quandoque summis etiam beneficiis valetudinem afficiant.

Moderatiores equidem animi commotiones, quas boni opinio futuri, aut praesentis, parit, magnopere cum prodesse valentibus, tum aegrotos levare, tam apertum & pervulgatum est, ut qui dubitare, multisve illud evincere sustineat, audientiam non mereatut. Spes prae ceteris saluberrima non animum modo erigit, sed omnibus etiam corporis facultatibus vigorem inspirat. Inde tam miserabilis illa senectus, quae cum spes longas inchoare vetat, ne brevibus quidem sublevatur. Inde nostalgia laborantes cum primum itineri in patriam sese accingunt, spe sola erecti revalescunt. Recordamini, Auditores, quae de Phi-

loſopho Abderitarum, Democrito, memorantur, cum aetate & viribus gravis jamjam deficeret, moeſta autem ſoror ob Deae Cereris feſtum tridui ſpatio abeſſe teneretur, odoratu calidi panis tam diu vivum ſe ſervaſſe, donec transacta celebritate redux illa morienti adſtare poſſet, ac tum quietiſſime exſpiraſſe. Quando autem hodieque mortis ſperando retardatae exempla proferuntur, quis, quaeſo, Veſtrum non crediderit, deſiderio potius atque exſpectationi rediturae ſororis, quam pani naribus admoto, vitae Philoſophi prorogationem tribui oportere? Haec illa eſt tantopere exoptata Medicis fiducia, quam ſi apud aegros ſibi comparare norunt, eos cum ad obediendum habent paratiores, tum ſolo etiam alloquio refocillare valent, immo vim acui remediorum certioresque reddi ſucceſſus experiuntur. Haec eadem eſt, unde agyrtae, pharmacopolae, circumforanei, οὐροσκόποι, οὐρομαγειρίσκοι, carminum, amuletorum, virtutum ſymphatheticarum praeſtigiis ludentes famam ſibi nummosque aucupantur. Etenim audaci vaniloquentia cum ſua oſtentant prodigia, afflictisque magno hiatu ſalutem confidentiſſime promittunt, credulitas in ad-

mirationem rapit, admiratio in ſpem adducit, qua cum erigitur mali difficilis taedio auxiliique inopia languens animus, organorum corporis tanta non nunquam fit incitatio, ut excuſſo principii vitalis torpore, reſtituto nervei generis tenore, motu humorum accelerato, ſuis natura viribus morbum aggrediatur, ſuperetque longa medicatione fruſtra oppugnatum. Habeant igitur, quibus tam eſſe fortunatis contigit, ut nugatoriis artibus citius, quam probata medendi ratione, revaluerint, habeant, inquam, cur recuperatam quoquo modo ſanitatem ſibi gratulentur! Verum ſi ſerio etiam contendunt, iſtud beneficium peculiari illarum efficacitati revera tribuendum eſſe, riſum profecto peritis rerum aeſtimatoribus movent, nec refutari merentur.

In gaudio non minor ineſt virtus medicata. Memorabile inprimis eſt, quod de Peireſkio, generoſo quondam inter Gallos Maecenate, βιόγραφοσ ejus Gaſſendus narrat, correptum gravi quadam paparalyſi inde a crure in dextras omnes corporis partes, ipſamque adeo linguam ſerpente, ut etiam articulate loquendi facultate privaretur, primum acceptis a

Thuano ſibi amiciſſimo literis, deinde & ſuaviſſimo cujusdam hymni cantu tantam animo concepiſſe laetitiam, ut geſtiens, ac in haec verba: O! quam pulcrum eſt hoc! prorumpere nitens, prorſus in illa proruperit, ſtatimque una omnium membrorum recuperarit libertatem.

Amorem licet allatis ſupra exemplis turbare valetudinem poſſe oſtenderim, ea ipſa tamen commonſtrant, etiam medicamenti loco eſſe, ſi quando re adamata potitur. Frigidos marcidosque ſenes, ſicubi cum formoſa cubantes puella concaleſcunt, mirum in modum recreari, antiquiſſimas Orientis gentes ipſa olim natura docuit. Verum qui exiſtimet, omnem iſtam virtutem in ſolis ſitam eſſe corporum juvenilium effluviis blandoque calore, nec quidquam tribuat elicitis una amoris igniculis, utut evanidis, nae is difficulter explanaverit, quamobrem ſexus amabilis fotum praetulerint. O! quam longe feliciores in morbis virginum ſanandis Medici eſſent, ſi quotiescnnque opus videatur, conſilii Hippocratici, quod jubet τὴν παρθένον συνοικέειν ἀνδρὶ, opportunitate fruerentur!

Sed venio nunc ad motus animi violentiores, eosque impendentis mali aut praesentis opinione citatos, qui etsi sanis valentibusque rarissime aliter prosunt, nisi quod non noceant, & contra graviter saepe officiunt; in aegrotantibus tamen sanationes nonnumquam praestant celeritate incredibiles, magnitudine prodigiosas, quocunque artis auxilio inimitabiles. Quod equidem ut factis probem evincamque, cum a me requirere Vos possitis, nec ego detrectare, vereor profecto, Auditores, ne rerum implicitus multitudine longius, quam Vestra fert humanitas, excurram. Enimvero si loculos propriarum observationum, si veteris nostrique aevi Medicinales excutio historias, tantus se numerus exemplorum offert, ut cum producere omnia & singula non liceat, incertus, quae potissimum memorem, aut quae praeteream, in delectu faciendo laborem.

Brevitati igitur studens hoc velim primum summatim intelligatis, quo animi motuum impetus magis desubito prorumpit, quoque est vehementior, & fortius hominem universum intus & in cute percellit, eo fere majus ad profligandos

morbos momentum habere; eamque ob causam lentiora illa πάθη, quae sine tumultu invadunt, & semel suscepta tanquam in venis medullisque diutius insident, tacitaque potius rosione, quam aperta violentia, infestant, cujusmodi tristitia, metus, odium, livor similiaque habentur, prope solummodo nocere, raroque aut nunquam aliquid boni pro salute corporis efficere. Quo fit, ut ira & terror, affectus prae reliquis perniciosissimi, iidem & beneficentissimos sese exhibeant, maximamque exserant in partem utramque potestatem.

Ira cum, quidquid in corpore virium motricium datur, ad agendum excitet, motuque sanguinis vehementer accelerato vitalem calorem per omnes partes subitissime intendat; ut etiam de Alexandro Magno perhibeatur, cum in Indiis esset, aliquando ira percitum luce ac scintillis e corpore vibratis emicuisse: non est, cur quis miretur, morbos quidem celeres & acutos inferre, natosve periculose augere, at cum diuturnis afflictae languent naturae vires, inopinam quandoque opem promptamque sanationem praestare. Samius quidam Athle-

ta.

teſte Gellio, quum videns ſortitionem in ſacro certamine non bona fide fieri iraſceretur, primum locutus eſt, ac deinceps tota vita nec turbide, nec adhaeſe Mulier in Galliis ob retentas a partu ſecundas in aphoniam incidit, muta per aliquod tempus marito per jurgium ſuccenſet, convitia dicere conatur, dicitque revera & loquendi facultatem extemplo recuperat. Non diſpare uſus eſt fortuna Danus quidam apud Borrichium, qui per quadriennium voce privatus, obviam forte videns aniculam ſibi dudum inviſam, mox toto animo exardeſcens in maledicta erumpit, ſimulque ſentiens ſe verba promere dolet indignaturque impium reſtitutae loquelae auſpicium. Memini ego quartanam contumaciſſimam furente ira in continuam abiiſſe, quae, etſi non absque diſcrimine, brevi tamen & ſuperata eſt, & moleſtum hoſpitem feliciter ejecit. Venatorem Willius memorat dira arthritide tam male habitum, ut ſub dolorum induciis non niſi fulcris innixus incedere quadrupes poſſet, cui cum conſulta quaedam Medicinae fama celebris Hecuba perſuaſiſſet, praeſtigiis atque incantamentis a vetula in vicina domo habitante id omne malum ſibi in-

ductum esse, ille totus furibundus & vindictae cupidine incensus actutum veneficam adit, & mille conviciis plagisque miserae inflictis maleficium eo successu ulciscitur, ut inter verberandum membris sentiret pristinum restitui vigorem, cessare dolores, ac sine fulcris domum reversus nunquam postea in eundem morbum reciderit. Stupenda profecto sanatio! Quod Medicina aut prorsus nequit, aut non nisi lente & magno cum vitae sobriae tum remediorum apparatu, radicitus morbum articularem evellere, id uno praestat impetu animus ira excandescens, violento corporis motu adjutus Plus dicam. Pene mortuos ad vitam revocat. Anglus ille Robinsoni, pulsu jam fatiscente moribundus, cum ira agitaretur, resurgente pulsu viribusque relevatis, per horae spatium revixit, sedata animi commotione dein citissime extinctus.

Atqui terroris virtus salutifera & major est, & longe latius ad plura etiam morborum genera sese extendit, in qua tamen exponenda neque diu, neque diligenter, ut materies ferret, morabor; quoniam hac medicina sanatorum exem-

pla tam numerosa sunt tamque pervulgata, ut cum pauca modo attulero, mox Vestrum cuique de pluribus aliis, olim compertis, in mentem esse venturum plane confidere possim. Quod de Croesi Lydorum Regis filio antiqua refert historia, cum jam multum adolevisset, nihildum fari quivisse, sed terrore demum ac metu, ne pater ab invadente hoste occideretur, primum cepisse loqui, prodigio quidem simile est, nec adeo tamen singulare, ut non inde ad nostra usque tempora saepius acciderit, egoque ipse recorder semel atque iterum observare, Hystericis, ex mali sui accessione in aphoniam lapsis, timore subito percellente plenissimum linguae usum rediisse. Mentis alienationes cujusmodicunque, furiosas, hystericas, hypochondriacas, febriles, multoties sic momento constat esse persanatas. Homo in hac urbe ex acuta febre delirans, cum vicini domum incendio flagrare audiret, delirandi finem protinus fecit. Studiosus quidam, nostrae civis Academiae, pertinaci melancholia aliquamdiu afflictus, cum pro desperato habitus domum remitteretur, navis qua vehitur, ad occursantem aliam navem per tenebras allisa vehementer

concutitur : ille improviſo fragore totus contremiſcens ſtatim reſipiſcit Quid Maniacos enumerem terrore aut fortuito , aut de induſtria incuſſo ad ſanam mentem revocatos ? Quid Hypochondriacos a ſtolidiſſimis , quibus diu inhaeſerant, phantaſiis ſic confeſtim liberatos ? Praecipitationem in mare, ſubmerſionem in aqua , antiquis jam temporibus ad rabiem uſitatam, adverſus illud morborum genus etiam plurimum valere caſus primum Medicos docuit, experimenta confirmarunt. Lugdunenſes Borrichio per Gallias iter facienti editum oſtenderunt locum, e quo mente capti in Rhodanum praecipites agantur , ac fune identidem retrahantur , eo inſtituto, ut ſapere iterum diſcant, ſucceſſuque non poenitendo. Robertsonum, Medicum Anglum, audaci iſta medicatione plures inſanos ad rationis uſum reduxiſſe fidem facit Helmontius. At quorſum iſthaec ſermone ſuperiore jam adducta nunc repeto ? Eo nimirum, ut illud, quod ad rem praeſentem facit, intelligatis , totam iſtam, quanta quanta eſt , efficientiam a peculiari quadam aquae virtute minime ducendam eſſe , ſed unice deberi ſummo terrori angorique , in quem ob ſuffoca-

tionis periculum animus conjicitur. Quamobrem & apparatu opus eſt, qui vehementiſſime perterreat, & ſubmerſione tam diuturna totiesque iterata, ut vita reapſe in diſcrimen adducatur, dubiumque ſit, utrum omnino perierit retractus, anne queat reviviſcere: ſecus enim certae opis nihil exſpectandum. Praetereo febres intermittentes, quartanam inprimis inveteratam, illud ante compertum corticis Peruviani uſum Medicinae opprobrium, ſolo terrore fugatas. Nobilis ille apud Boyleum ſtrenuusque militum dux, ceterum ad omnia imperterritus, at bono tamen ſuo gliris aſpectum horrens, quartana refractaria, nullis remediis, ne caeli quidem mutationi cedente, diutiſſime vexatus, inopino demum gliris aſſultui liberationem debuit. Arthritidem, quod ſupra oſtendi, ira ſolvi perrarum eſt, terrore contra non infrequens. Salmuthi obſervatio eſt, Podagrici cujusdam manibus pedibusque poſtquam levandi doloris cauſa cataplasma ex lacte, ſimila & rapis fuiſſet ſuperdatum, famulis ab hero digreſſis, porcum per apertam forte cubiculi januam irrupiſſe, qui cum odore illectus pulticulam devorare aggrederetur, rudi incurſione

hominem ab incondita bestia de sella in pavimentum esse deturbatum non sine summa animi commotione, sed eo tamen eventu, ut ab illo tempore dolores remiserint brevique post omnino cessarint nunquam deinceps recidivi. Quum multis abhinc annis urbem nostram agrumque circumjacentem immanis turbo concuteret, damnisque plurimis usquequaque illatis incolas consternaret, duobus aegris, meae tum curae commissis, ea contigit felicitas, ut terroris beneficio alter, jam pridem ex saeva arthritide pedum ministerio privatus, ob imminens a dejecto camino periculum aufugere solus didicerit; altera ex gravi epilepsia, praeter exspectationem meam, plenissime convaluerit. Imo etiamnum superstitem novi virum, cui puero, quem inflixerat terror, morbum caducum, remediis frustra tentatum, idem ille anno post iterum incussus laete persanavit, antidoto non minus, quam veneno, ex eodem fonte ductis; quemadmodum qui a Scorpiis sunt icti, ab iisdem remedium petere consueverunt.

In vulgus notum est, singultus, capitis, aurium, dentium dolores, haemorr-

hagias periculoſas, terrore ſaepius momento ſedari. Et quidni ad eumdem referam, quod complures veteris noſtrique aevi homines, morbis ſoporoſis oppreſſi, ſyncope exanimati, pro mortuis habiti, ſandapilae jam commiſſi, imo ad rogum exportati, planctu atque ululatu adſtantium, cultri anatomici acie, rudiore feretri illiſu, flammae denique uſtione, ſenſum vitamque recuperaverint? Terror plerumque eſt quomodocunque incuſſus, quo animus primum, tanquam ex ſomno ſuo expergefactus, ſilentes per omnia corporis membra vires vitales deſubito reſuſcitat.

Sed haec hactenus. Jam enim ſatis ſuperque in hoc immenſo obſervationum oceano navigavit oratio mea. Tempus eſt, quo tendo, curſum dirigendi, ut quam celerrime fieri queat, portum conſequamur. Fallor, Auditores! Illud modo ſupereſt, ut intelligatis, portum me jam tenere. Equidem hoc exiſtimo, regimen animi, de quo hac hora agere conſtitueram, quodque, quia corporis ſaluti conſulit, ut uniuſcujusque intereſt ſolicite cuſtodire, ita praeprimis ad Medicos pertinet recte cognoſcere, ex illis

rebus, quas oppido multas gravesque adhuc propoſui, tam nullo labore elici poſſe, ut, ſi elicere magno verborum apparatu ego ſuſtineam, verear, ne aut moleſtus ſim vobis, aut ne ingeniis veſtris videar diffidere. Etenim illud profecto manifeſtiſſimum feci, cauſas occaſionesque plurimarum corporis affectionum ex animo, tanquam ex fonte ſuo, profluere. Unde conſequitur, bene valentes non modo in congruente animi actionum regimine grande habere tuendae ſanitatis praeſidium; ſed in aegrotantibus etiam, qui ob animi culpam laborant, vix quidquam bonae frugis obtineri, niſi ad primam mali originem, ad ipſumque adeo animum curatio dirigatur. Docui praeterea, & multa in animo ineſſe & potentiſſima adverſae valetudinis auxilia, quibus cum miteſcant morbi, tum certius aliquando tutiusque, quam quovis alio remediorum genere, ſanentur.

Quae cum ita ſint, quis tandem eſt, qui non intelligat, Medicis in mente ad ſalutem corporis regunda duplex incumbere officium; alterum, quo corrigant avertantque, quas animi immoderatio

affert, morborum cauſas; alterum, quo medicatas animi facultates ad relevandos aegros recte ſciteque adhibeant?

En! paucis enunciata verbis ſumma agendorum. Haec ſi quis, quomodo pro diverſa cujusvis hominis, qua ſani, qua aegri, natura ſingulari, alia atque alia conveniant, callide expiſcari, cauteque ac prudenter norit efficere, nae is ſupremum ſapientiae Medicae faſtigium attigerit. Verum hoc opus eſt, hic labor. Audite divi Hippocratis effatum! „ Vita „ brevis, ars longa, occaſio praeceps, „ experimentum periculoſum, difficile „ judicium. Oportet autem non modo „ ſe ipſum exhibere facientem, quae fa- „ cienda ſunt, ſed etiam aegrum, & ad- „ ſtantes, & quae a foris adveniunt.

Sapiens profecto & conſummato in artis uſu viro digniſſima ad Aphoriſmos Practicos praefatio, qua difficillima quaeque operis medicinalis, ejusque maxime penſi, de quo dico, momenta inimitabili Laconiſmo continentur! Equidem largior Medicos, cum tuendae valetudinis praecepta tradunt, de animi regimine, quod ſaluberrimum ſit, non generatim modo diſſerere; ſed etiam, quale cuivis

aetati, ſexui, temperiei, vitae generi, ſigillatim conducat, diligenter exponere; neque & officio ſuo deeſſe in enarrandis, quae morum perverſitate vitae ac ſanitati inferantur, nocumentis, atque adeo milies repetita eſſe & inculcata, quae homines, modo ſapere velint, ab intemperantia valeant depellere. Quocirca facile quis exiſtimet, nihil admodum hac in parte deſiderari. Verum tamen, niſi me omnia fallant, longe aliter ſentire debent, quotquot, ſola contemplatione non contenti, faciundae etiam Medicinae ſemet addixerunt. Etenim hoc rei caput eſt, ut, quam nobis ſtudio ac labore comparavimus, medendi ſcientiam in publicae utilitatis fructum convertamus. Tum vero, uti ſingulorum ſaluti proſpiciendum eſt, ita non ſufficit communia modo pluribus intueri, ſed & praecipue cuivis homini propria, quorum ſane tam immenſa occurrit diverſitas, ut in omni hominum genere ne duos quidem invenias inter ſeſe examuſſim ſimiles. Ex quo intelligitur, Medicinalem, quae in tironum gratiam traditur, de hominum differentiis doctrinam longe anguſtiorem eſſe, quam quae amplitudini iſtius materiae utcunque reſpondeat, vivendique

adeo regulas, quae ab illa ducuntur, tam multiplices pati exceptiones, cum ad homines ſingulos referri debent, ut perquam difficile ſit aliquid certi ſtatuere. Et quid de conſuetudinis dicam tyrannide? quae non tantummodo mentem corpusque in ſervitutem redigere ſolet; ſed Medicis etiam in curandis cum ſanis, tum aegris, leges praeſcribit arbitrarias, quibus, cum probatiſſimis ſaepe artis praeceptis contrarientur, obedire tamen vel inviti debeant, aut ſeſe opponere fruſtra moliantur. Quid de praejudicatis hominum opinionibus, quas dudum inolitas quam difficile ſit evellere neminem latet? Quoties fruſtra cum illis luctati tandem cogimur a recta curandi via deflectere, quae indicantur facienda, omittere, concedere, quae nollemus, vel quovis alio modo conſilium prudenter captum mutare? Fingite tamen, Auditores, quod oppido rarum, nihil iſta omnia habere, quod moleſtiam aut impedimentum creet! Quis autem illa demum, quae a foris adveniunt, quae caſu fortuito contingunt, quae ab adſtantibus afferuntur, incommoda, tam lynceus eſt, ut praevidere, tam prudens potensque, ut antevertere aut moderari valeat? Atqui horum ut in-

numerabilia quotidie incidunt, ita tanti ſaepiſſime ſunt momenti, ut non alia de cauſa ſani aegrotent, aegrotantes in pejus ruant, morbo ſuccumbant, aut certe in Medico non ſit, ut releventur. Enim vero ex hoc inprimis fonte exitiales illae humani generis peſtes ſcaturiunt, animi perturbationes, per quas nimirum pleraque illorum, quae modo attigi, ſuum in corporis oeconomiam virus effundere ſolent. Inde multiſariae illae ſanitatis noxae; inde tot morborum fomites & irritamenta, tanta curationum taedia, obſtacula, fruſtrationes: quae quidem omnia non fatigarent Medicos, ſi in artis poteſtate foret, animorum illos tumultus pro lubitu aut avertere imminentes, aut proruptos reprimere atque ſedare. Quocirca cum nec ſanam rationem, nec morum doctrinam, nec ipſammet religionem ſe ſatis efficaciter illis opponere experiamur, facit quandoque commiſeratio, ut tacite nobiſcum doleamus, negatam humanitati facultatem eſſe contingentia, prout neceſſitas exigit, mutandi, neque ſemper ex pharmacopoliis depromi poſſe, quae corpori ob mentem inquietam laboranti certum levamen afferant. Aulicus, qui Principis ſui gratia

excidit; mercator adverſa fortuna ſubito ad incitas redactus; aut matrona ob acerbum mariti unicaeve prolis funus deſperabunda, cum ex dolore animi in corporis aegrotationem incidunt, calamitatem ſibi inflictam moderate ferre indociles, quanto celerius certiusque relevarentur, ſi Medico datum foret, quod lugent, damnum reparate! Primi Judaeorum Regis furorum lyra Davidis mulcere quidem, ſed ob irrevocabile DEI oraculum exſtinguere tamen non potuit. Neque profecto credibile eſt, Perdiccam atque Antiochum, quos ſupra memoravi, aliter ex ſuis languoribus fuiſſe evaſuros, ſi Medicorum auctoritas ad cupiditatem illorum explendam parum valuiſſet. Quoniam vero rerum externarum caſus ut plurimum immutabiles ſunt, illud tamen a Medico requiri videtur, ut, quotiescunque talia evenerint, quae temperationem aliquam admittant, nihil, quod honeſte fieri poſſit, intentatum relinquat, quo ſuae curae commiſſis conſulere animique tranquillitatem aut conſervare, aut reſtituere turbatam queat. Itaque cum ſuis ipſa moleſtiis ex ſe ſatis oneroſa ſit artis exercitatio, illud etiam moleſtius accedit, non ſemper evitari poſſe-

quo minus eam ob caufam alienis implicemur negotiis, quae vel prudentiffime tractata, raro tam feliciter conficiantur, ut devoratis taediis par gratia reportetur.

In tanta igitur occafionum, quibus homines percelluntur, regundarum difficultate, hoc unum Medicis fupereft, ut ad ipfius animi regimen fefe convertant omnique ftudio & cura eo enitantur, ut Ἐνορμῶν illud, cujus incitatione humanae mentes toties in detrimentum corporis transverfae abripiuntur, coërcere difcant, moderari atque in ordinem redigere. Nolite tamen exiftimare, Auditores, Stoicorum me addictum fectae, quam fua difciplina inculcare Zeno Philofophus fruftra conatus eft, ἀπάθειαν Medicorum opera in animos hominum induci poffe aut fperare, aut expetere. Equidem tantum abeft, ut ita fentiam, ut etiam valde probem, quae Herodem Atticum de hoc loco adverfus Stoicos differuiffe Gellius memorat, languere nimirum animos ac torpere, affectionum adminiculis privatos, iftosque apathiae fectatores Thracio illi homini fimiles effe, qui ruris colendi infolens, cum vicinum forte vidiffet, agrum fuum a rubis purgantem, vites, oleas,

arbores putantem, ut laetior eſſet uberiorque proventus, ſtolida imitatione omnes ſui fundi vites oleasque detruncavit, arborum comas & vitium palmites decidit, fruteta atque virgulta frugifera ſimul cum ſentibus convulſit, mala tandem mercede doctus non per inde eſſe, utrum promiſcue omnia excidas, an conſiderate detrahas, quae impedimento ſunt ad fructum. Neque ſolummodo in animum irrepit ignavia, ſed facit etiam iſta affectuum vacuitas, ut, incitatione corporis ob conſenſum torpeſcente, circuitus humorum ipſiusque adeo vitae vigor enervetur. Accedit, quod in violenta animi motuum natura ſimul cum pernicialibus medicatiſſimas ineſſe vires ſupra oſtenderim, quarum ad relevandos aegros utilitas ſaepe prodigioſa ſit; ut vel idcirco etiam illis carere totis homines non deſiderare Medici debeant.

In id propterea maxime incumbendum eſſe videtur, ut partem illam animi turbulentam arbitrio noſtro utcunque obſequioſam habeamus, ejusque motus aut ſupprimere, cum erupturi ſunt, aut modum excedentes temperare, aut excitare & ad quemcunque gradum intendere,

uti res praesens exigit, possimus. Equidem non diffiteor, cum veteres, tum recentiores Sapientiae doctores non minus copiose, quam enucleate, istam materiem disputasse; ut mirum alicui videri queat, amplius me aliquid perfectiusque postulare & quod ad illos proprie pertineat, Medicis elaborandum proponere. Verum, tametsi laudo proboque Philosophorum de regundis animi perturbationibus praecepta, horumque utilitatem non plane nullam in praxi etiam Medica lubens agnosco: inest enim in comi alloquio, in sermonis festivitate, in ratiocinio gravi, in admonitione severa, in confidente promissione, in comminatione, aliqua vis, qua si quis opportune sciat uti, affectus tanquam habenis & flagris gubernare pro arbitrio valeat: ejusmodi tamen haec omnia sunt, ut fere magis contemplatione, quam usu, sese commendent. Enimvero nec omnium esse temporum, nec locorum, nec personarum, quisque facile animadvertit; nec cuivis datum esse, ea scite ac prudenter adhibere: quoniam vero ex sanae rationis fonte ducuntur, qua pauci multum pollent, saepissime etiam recte administrata in cassum cadere debent; cum

cum experiamur in cultioribus quoque ingeniis non ſemper ſcopum ferire. Dionyſius Heracleotes, cum plurimis annis in Philoſophia Zenonis conſumptis fortis eſſe didiciſſet, ex renibus tandem laborans a dolore deductus eſt, ut in ejulatu falſa eſſe clamitaret, quae antea de dolore ipſe ſenſiſſet. * Et quoties tanta eſt aut vehementia iſtorum motuum, aut contumacia, ut omnem rationis uſum ſuſpendant, quique conſilio eos regere velit, quod monente Comico dudum diſcere potuiſſet, fruſtratus tandem intelligat, nihilo ſe plus agere, quam ſi det operam, ut cum ratione inſaniatur? Quin & ſubitaneum illud atque improviſum, quo tamen animi commotiones pleplerumque maximam in corpus vim exercere ſolent, quocunque id genus remedio, cum nocent, vix praeverti poſſe, aut, ſicubi juvare debent, ut plurimum caſu fortuito felicius, quam dedita opera induci, obſervationum fide innoteſcit.

Itaque in re tam momentoſa cum nihil non explorare oporteat, nolim equidem, quae Sapientiae ſchola promittit, ſubſidia, quando uſus eſt, negligi aut

* *Cicero Tuſcul. Quaeſt. l. II. c. 25.*

vituperari: at vero si parum certae opis forte attulerint, non erit tamen, cur Medici desperent, modo, quae ex propriae artis penu depromi queant, bona recte cognoverint. Illud nimirum volo mentis per corpus regimen, quod sermone superiore exposui. Etenim pro statu corporis diversimode mutato animum simul alio atque alio inclinari sic satis me tum ostendisse arbitror. Ea igitur est artis nostrae opulentia, ut cum rationis potestate in regundis affectibus parum confidere, neque adeo mentem per semet ipsam gubernare licet, multifaria in promptu habeamus instrumenta, quae etsi proxime in corporis partes motusque duntaxat agunt, eadem tamen opera incolam ejus animum pariter afficere, frenisque veluti atque calcaribus aut praecipitantem cohibere, aut torpidum excitare ac impellere possint.

Animadvertitis, Auditores, utramque regiminis mentis, quod Medicorum esse dixi, partem naturali quodam vinculo cohaerere, alteramque alterius ope destitutam infirmari. Ipsa argumenti hujus pertractatio sensim me ad initia, unde progressus sum, reducit, ut liquido constet, quemadmodum mens & corpus, vi

mutuae ſocietatis, communem inter ſeſe vitam agunt, facultateſque ſuas, cum in unum coëunt hominem, intime veluti permiſcent, ita quaecunque alterutri conjugum aut bona, aut mala, caſu conſiliove eveniunt, utrique pariter evenire. Quae cum prolixe ſupra diſputaverim, nihil eſt, cur aures Vobis ſat longa oratione nimio plus feſſas moleſta repetitione diutius obtundam.

Cauſſam, ut potui, peroravi Nec ſentio tamen, Auditores, velle Vos aut me dimittere, aut a me dimitti. Veſtra quippe omnium ora atque oculi, in Principem Juventutis, in Celſiſſimum ARAUSIACUM, in GUILHELMUM noſtrum, cujus laetabili aſpectu cum maxime exultantes fruimur, converſi monent urgentque, ut ne Tanto Hoſpite inſalutato hinc diſcedam.

Et qui poſſim ego? Princeps Sereniſſime! Tot qui rationibus Tibi addictus, ſi non ortu, at fortuna Batavus, Gubernatorem Patriae Haereditarium cum Bonis omnibus diligere; Medicus Tibi conſtitutus Te ſacramenti fide mihi creditum obſervare, in oculis, in ſinu geſtare, eoque nomine ad familiaria Tecum colloquia admiſſus inuſitatam, qua es aeta-

te, Genii Tui vim cognoſcere, admirari, amare lubens laetusque didicerim.

Patere igitur, Princeps! ut egomet ipſe, & me interprete univerſus ordo noſter, & quos huc tanto confluxiſſe numero vides, civium Academicorum corona gratias Tibi agamus, quas mente maximas licet concipere, hujus quod diei celebritatem Tuo ſplendore praeſens ſplendidiorem reddere, tenuemque leniter ac patienter audire oratorem non ſis dedignatus. Deinde ut hoc bonarum artium domicilium ejusque Divam, antiquiſſimam Batavorum Palladem, Tuo favori ac patrocinio & nunc & in poſterum etiam atque etiam commendem.

Tua haec Pallas eſt, Princeps! ab Illo Tuorum Majorum Maximo GUILHELMO primo in hac aede collocata, a Magnis poſtea, qui vicem Illius in republica gubernanda exceperunt, Principibus benigne ſemper curata, culta, protecta, nuper etiam ab Amabiliſſimo GUILHELMO IV, Optimo Patre Tuo, fato heu! nimis praecipite nobis erepto, blandiſſime habita, novis beneficiis aucta & ornata.

Quid? Tua, auſim dicere, haec Pallas mater eſt, Te ſibi Filium vindicat. Ta-

metſi enim, quod in votis fuerat, fors non tulit, Te ut ſtudiorum cauſa incolam ſuo amoeniſſima Leida ſinu ſuſciperet, ſuos tamen inter cives Te numerare laeta non dubitat Academia. Documento ſit Weiſius ille Tuus, noſtro ex ordine Tibi datus, noſter etiam nunc, & utinam diu! collega, noſtrae ſacerdos Palladis, quae illius abſentiae hoc ſummum habet ſolatium, quod Tui, id eſt, Reipublicae cauſa abſit, nec aliud pretium requirit, niſi ut ſuum Te Alumnum, ſe Tuam praedicare Nutricem ſibi liceat.

Sperat itaque haec alma Mater, & ſuo quodam jure confiſa exſpectat, Princeps Celſiſſime, AURIACIS Belgarum ſacris propediem, O! feliciter initiande! Te ſui fore memorem, & cum maturior aetas ad capeſſendas demum Reipublicae habenas Te promoverit, Tutelarem ſibi Genium futurum, atque in hac doctrinarum ſede cum protegenda, tum cohoneſtanda, talem Te praeſtiturum, ut genuino ARAUSIACI ſanguinis ſpiritu Te animatum usque & usque experiatur.

Sic Te, Exoptatiſſime GUILHELME! Divina complectatur foveatque Clementia, ut incorrupta florens valetudine uber-

rimasque Principalium virtutum gemmulas generoſo animo evolvens adoleſcas in ſpem certiſſimam communis Patriae, imo maturitate Belgarum omnium vincas exſpectationem!

Sic & Propitium Numen ſervet diu Caput illud, Tibi, Domui Tuae, Reipublicae tam carum, Sereniſſimum Guelphorum Ducem, LUDOVICUM Brunsvicenſem, a Deo datum Tibi Ducem, Tutorem, verius dicam, Patrem, imo pro incredibili, quo Te Heroico in pectore gerit, fovet, amat, affectu tenerrimam quoque Matrem; ut Ipſe, domi militiaeque inſtructiſſimus & ad Belgarum mores apprime factus, vivum Tibi fortitudinis, prudentiae, moderationis, comitatis, exemplum pergat proponere, cujus imitatu ad ſuprema pacis belique munia, quorum Te decus momentumque manet, animum mentemque posſis informare!

Sic Te, Deſideratiſſimo tandem Gubernatore, felicitas publica proſperis cumuletur auctibus; ſic Foederatae libertas Civitatis firmetur; ſic religioni, virtuti ac eruditioni pretium ſtatuatur, ut livor etiam agnoſcat, Patriae ſalutem cum ſalute Stirpis ARAUSIACAE indivulſo nexu cohaerere!

D I X I.

ABRAHAMI KAAU BOERHAAVE

Medicinæ Doctoris, Anatomes & Physiologiæ Professoris Academiæ Scientiarum Petropolitanæ Membri.

SERMO ACADEMICUS

de iis, quæ

VIRUM MEDICUM

perficiunt & exornant,

quem habuit die lustrico

Invictissimæ & Potentissimæ Russiarum Imperatricis

ELISABETÆ

PETRI MAGNI FILIÆ

in conventu publico Academiæ Scientiarum

Anno MDCCL. Spt. VI.



Solemnia hujus diei auſpicia hoc tempore & loco ex inſtituto Academiæ celebraturus, ea ſolum a me exſpectanda opinor, quae artem, quam profiteor, proxime tangunt.

Haec vero quam late patent! qua copia mentis vel attentiſſimae aciem obruunt & obtundunt! Quae ſingulorum dignitas! Quae cunctorum pulchritudo! Quanta contemplationis eorum utilitas, neceſſitas, & gratia! Adeo, ut ſi caſus vel electio horum uni ſpeculando mentem applicat, eas attentionis cauſas repertura ſit, quae huic ſoli omnem operam impendendam perſuadent. In alia autem ubi ſe convertit animus, haec eadem praeconio, aeque claro, ſe prae caeteris commendabunt.

Inter illa tamen hanc mihi eximiam materiam ſermonis elegi, quae Virum Medicum ſuis lineis & coloribus depictum oculis repraeſentat, quae ea adumbrat,

quibus armatos decet illos, qui felici Marte, everso morborum regno, salutis templa in tropæum erigere summa ope nituntur.

Exspectationi Vestrae aptissimum intelligitis argumentum, qui adestis Medicum audituri perorantem : neque mihi ipsi faustiora aliunde, quam ex hac causa, auspicia peti posse, res ipsa dictat. Quapropter subjecto orationis favere Vos omnes, jure quodam mihi persuadeo.

Vestram ergo O. O. A. H. in audiendo lenitatem & patientiam, in judicando æquitatem implorans, brevi, eoque non inamœno, cursu ad metam properabo.

A prima mundi origine mortalium sapientissimos, Chaldaeos, Assyrios, Babylonios, Medos, Persas, Ægyptios, Grajos, Romanos, Arabas, medendi scientiam aliis praetulisse studiis, & naturae rerum contemplationi adjunxisse, ex ultimi aevi addiscimus monumentis.

Neque injuria : Medicum enim qui dicit, hominem vocat alteri Deum.

Omnes in vita benefactores non tot beneficia largiuntur simul, quanta verus Medicus.

Quid Alexandro devictus orbis, nisi Philippum, nisi Critobulum habuisset Me-

dicos? Quid profuit Agathocli regnum? Quid Hadriano imperium, pereuntibus Medicorum in arte peritorum abſentia?

Medicus vitam, Medicus feliciter agendae vitae modum procurat.

At, ſi quem ceperit tam honorati nominis cupido, mille ſalebris & praecipitiis via remoratur tendentem ad gloriae poſſeſſionem: ad pulchra ducit, ſed ardua: ingredi eam paucis, raris calcare, at ſuperare vix contigit ulli.

Eſt Medicus, qui ſanitatem homini ſartam tectamque ſervat, vel, ſi quid ceperit detrimenti, incolumem eam priſtino reſtituit nitori.

Sanitas ipſa, quoties cogitatur, unica vocula felicitatum omnium, dum has incolimus terras, ingelligitur fundamentum.

Quis vero hanc nobis ſalutem tuebitur, quem ejusdem latuerit natura? Quis ejusdem hoſtes, morbos, coërcebit, niſi qui prius vires horum, machinas atque indolem, examuſſim intellectui explicuerit ſuo.

At vero, cui proſperitatis atque calamitatis ratio aperta, nondum ſibi adoream hac meruit in arena, oportet quippe, ut perſpecta habeat ſimul ſalutaria auxilia,

quorum virtute pellitur aegrimonia, ſalus vero viget floretque.

Qui ergo in ſanitatis, morbi & medelae penetravit ſcientiam, ſolus in ſtadio medico attigit metam, primo bravio, prima digniſſimus corona.

Pauca admodum haec nobilem & perfectum reddere Medicum, miramini: at horum quodlibet mille alia ſupponit, quorum ſingula accuratam librata ad rationem, eo difficiliora, quo magis neceſſaria, videbuntur: quod oſtendiſſe, ſermonis noſtri ſcopus eſt.

Hoc, quorum una ſumus, corpus vel vaſis lege geometrica affabre factis, vel liquoribus, qui iisdem reconduntur, conſtat. Praeter haec duo tertium qui quaerit, fruſtra ſuo abuſum ſe labore, deprehendet. Unde facile evidens, ſanitatem obtineri, quando canales omnes & maeandri ita ſe habent, ut horum quivis liberum fluxum ſuo concedat humori, neque alteri tubo impedimenta creët: rurſumque, ubi liquida ſic ſunt comparata, ut mole, figura, velocitate, reliquisque dotibus, exacte reſpondeant iis, quibus coërcentur, & per quae moventur, vaſis.

Artis ergo noſtrae quisquis amat effectus, ea polleat ſcientia exacta, quae,

quomodo ambo haec, quae memoravimus, ſano in corpore ſeſe habeant, doceat: quam adepturum iis oportet inſtructum, quae ingenium ad vaſorum contemplationem adaptant, viamque ad facilem humorum cognitionem pandut: adeoque Geometricae Scientiae ſacris initietur, diſcat ibidem figurarum corpora circumſcribentium naturam & proprietates, harum menſurare capacitatem, dividere, augere, formas in alias mutare, ut iis adſuetus haud difficulter deprehendat, quaenam ſint exaſciati leges ratiocinii, quaenam ea, quae ex varietate formarum oriuntur in corporibus. Quibus imbutus elementis animus, ubi ad Staticae, Mechanicae, Stereometricae, Hydrometricaeque effata, ſe non perfunctorie applicat, jam incredibili potitur, ad infinitas in Anatomia difficultates ſuperandas, auxilio. Ea jam olim artis noſtrae conditoris erat ſententia, qui molitus inepte nihil filio ſuo Theſſalo medicinam aggreſſuro inculcat ſtudia mathematum.

A Geometrarum oraculis ad ea experimenta intellectum convertat, quibus ipſa rerum natura ſeſe nobis revelat, quibus ignis, aëris, aquae & reliquorum, quae ſenſibus ſe ſubjiciunt, corporum ſtructu-

ram atque efficaciam demonſtratas habet. Phyſica addiſcat, non, niſi Mathematicis, noſcenda artibus. Duo haec, mathematica & phyſica qui didicit, Anatomicas ſcholas, quas nemo ingreditur ἀγεώμετρος, intrato excipiendus.

Artis ibidem Ariadneae dictata, unde plus, quam Daedalea ſolertia exſtructam machinam addiſcat, minima latibula & ambages reſolvat, & cimmeriis immerſa tenebris luce donet.

Tanto vero dignum promiſſo fructum ut ferat Medicinae alumnus, non contentus rudem partium nomenclaturam vel ſitum noviſſe: aſt illi incumbit inquirere vaſorum figuram, fabricam & cohaeſionem in primis mulierum abortuum & animalium embryonum ſtaminibus, a conceptu ad perfectionem, in naſcituris, naſcentibus, deinde & jam natis, eademque utatur cura, per variam aetatis ſucceſſionem, in corpore jam ſupremae ſuae vegetationis gradum adepto.

Externa facie his obſervandis ipſe viam pandit oculus vivos homines contemplans, unde plurima diſceremus, niſi quotidiana conſuetudo attentioni abeſſet.

Haud minus fatalis moriundi lex cujusvis aetatis cadavera, affatim morbis ex-

ſtincta, ſuppeditat, tum & eorum, quos felici fruentes valetudine caſus, aut malis pernicioſa, legum vindex, Juſtitia ſaluti humanae deſtinat, ut latentem omnium partium, & diverſam ſpeciem proſecutus addiſcat. Homines namque vivos, morti licet deſtinatos, nocentes ad hunc ſcopum incidere, artem ſalutiferam ſanitatisque praeſidem in atrociſſimam vertit carnificinam, atque clementiſſimae ſacras Medicinae manus ſcelerato piaculo inficit. In Herophilo & Eraſiſtrato ille ſciendi furor damnatur crudelitate infamis, docet tamen multa, non alia, non mitiori via, noſcenda. Haec ergo ex vilioribus diſcenda ſunt animalibus, quae experimentis & inciſionibus ubique, & quidem viventia, praeſto ſunt, quorum ſimplicitate majori, claritate diſtinctiori vaſa ad intricata magis in homine enucleanda, toties anſam dedere & exemplar. Conſtat certe his, qui Anatomes comparativae, qui Zoötomiae fructus norunt, illis non poſſe carere hujus ſcientiae cultores.

Quis ibit inficias, hac via tendi ad Anatomes faſtigium, ſi Mechanicus oculus omni cura & attentione ex hominum fœtubus, ex animalium embryonibus, ſanis & aegrotis, ſi ex adultis iisdem, obſer-

vaverit vasculorum materiem, figuram, resistentiam, connexionem, quo unumquodque alteri vinculo adhaereat, quo hiatu, qua figurae mutatione alteri se jungat, quo modo circuitus ex primo per media, rursus ex ultimo in primum redeat. Tum habebitur id, quod in vasis spectamus. Haec ordine geometrico, lege historiae naturalis, litteris commissa, ut nobis prosunt, usui cedunt posteris.

Atque ea fruimur seculi felicitate, qua summa eximiorum industria ingeniorum haec scientia exculta ad incredibile perfectionis culmen adscendit, ut admirandum ejus nostro tempore augmentum attoniti obstupeamus, maxime si hujus aetatis inuenta componere lubet cum illis, quae tot annorum millibus priorum secularibus Medici sciverunt.

Felices nos tanto scientiae thesauro locupletes! Beatos nos, qui tot molestiis erutam sapientiam possidemus tuti!

Ut vero ille, qui vas liquore turgidum cogniturus parum sciret, si asserum & trochorum figuram, indolem & naturam sedulo enarrare satagans, haud sollicitus foret de humido illi incluso, ita quoque scientia huc usque exposita, omnino nihil valeret, nisi accesserit cognitio peritior

eo-

eorum, quae canalibus his aſſervantur. Scientia Medico tanto magis neceſſaria, quanto vaſe ſuo liquor nobilior: tanto utilior, quanto magis ab hoc, quam illo, vita, ſalus & morbus pendent! ob vaſorum quippe vitia pauci, a liquorum depravationibus fere moriuntur omnes.

At vero, ut ſemper alias, ita & hic denuo, utili & pulchro junctum dolemus arduum! Liquorum hercule exilitas, pelluciditas, mobilitas, ſubitanea mutabilitas, commixtio, ut velum oculis, ita menti caliginem, obtendunt. Innoteſcent tamen, ſi non perfunctorie hos perluſtramus in ovis, ante incubatum, & ſub eodem. Si eosdem in iis vaſis, quae primam noſtrae carinae fabricam conſtituunt, in pullis, in hominum, in animalium embryonibus, omni inquirendi pertinacia indagamus: ſi varios, in variis vaſis reperiundos, omnibus ſenſibus externis examinamus, cum diverſis arte factis, aliunde notis & ſimpliciſſimis, conferimus; ſi natura oppoſitis miſcemus, perpendentes, quid cum illis agant, vel ab iisdem patiantur; tandem ſi ſpagyrico igne, omnibusque fermentis, ibidem ſatis perſpectis viis, eosdem dividimus, reſolvimus, componimus. Atque ubi haec

demum nota ſunt in ſingulis, tum videre in quo conveniunt vel differunt, quibus ſedibus permiſcentur in corpore noſtro, quo modo, & in quas partes, ſeparantur, quasve mutatas ſubeunt utrobique formas.

Cernitis, quam nobilis, quam utilis, quam neceſſaria ſit haec ſpeculatio! Miramini tam parum de eo cogitatum! Doletis, tantas hominum ſtrages deberi hujus abſentiae! Sed haec calamitatum humanarum ſuprema & triſtiſſima eſt, ut mens noſtra minus neceſſariis intenta & abrepta, de iis, a quibus dependet, vix, vel quaſi per ſomnium, cogitet!

Proſpexit tamen & huic malo Divinus favor, cum per ſapientiae Apollineae antiſtites tantos ceperit haec ſcientiae Medicae pars noſtra aetate profectus, ut plane nihil deſperandum his ducibus, his auſpiciis, dummodo horum inventis, aëri & marmor inſcribi digniſſimis, divites alacriter pergamus.

Diverſum me rapuit O. O. A. H. humanae infelicitatis contemplatio, in viam reverſus ajo; Medicum, poſtquam perſpecta ſibi reddidit vaſa quaevis, poſtquam in abſtruſam liquidorum penetravit indolem, expeditam habere viam, qua motum

humorum per ſolida inveſtigat, intendat modo ingenii aciem, ut accuratiſſima experientia enumeret omnia, quae in ſano apparent corpore, phaenomena: nihil prorſus tam vile, tam abjectum, æſtimet, ut ſua indignum habeat obſervatione. Fueritne cauſa, cujus vi, modus, quo quid fiat; fuerit denique effectus ipſe, haec omnia exquiſito judicio notata, fide optima redigat in catalogum.

Quam pulchre res aguntur humanae, ſi his modo obſervatis divites, quibus ſalutis cura demandata eſt, ſepoſito ardore ſciendi & explicandi ea, quae rariſſime vel nunquam in ſanis fiunt, ſepoſita illa imaginaria natura, effectus modo omnes fide hiſtorica enarrant, atque diligenter ea, quae hos antecedunt, concomitantur, vel ſubſequuntur, in ordinem redigunt, ut nulli Phyſiologorum ſectae devoti, nullis obcœcati praejudiciis, ſimpliciter id agant, quod probi peregrinatores, qui nota vel ignota loca pererrantes, ſingula obvia ita in ſuum diarium referunt, prout ipſi fieri obſervant.

Hoc obtento ea habebimus, quae data ſua vocant nomine Mathematici. Dantur nota & definita vaſa, conceduntur determinati liquores, in numerato ſunt

effecta, quae motus datorum liquorum per data vasa quantum sensibus exponunt. Quaeritur causa efficiens, qua concepta, accurate scitur, quomodo haec effecta continentur in liquidis per vasa motis. Adsit jam Archimedes quispiam, Mechanicae & Hygronomicae arcanis locuples, utatur admirabili, qua soli Geometrae micant, veri inquirendi methodo, haud dubito. quin brevi lætissimum personaverit ἕυρηκα!

Sic datur, & sic solum datur Theoria, quam vocant, quam jactant, Medica. Tum solida freti corporis humani, & eorum, quae in eo fiunt, scientia, ridemus misellos Ixionas nubem pro Junone amplexos: explodimus tot systemata, luxuriantis phantasiae chimaeras, & delirantis cerebri suavia insomnia: sed & aeternas rixas cavemus, atque ita scimus, quid sit carissima rerum sanitas!

Sed uti huc usque tractata Medicinae pars jucunda amœnitate attentorum animos demulcet, ita, quae sequitur terribili forma eosdem terrefacit, explicandam suscipiens diram morborum cohortem.

Ægritudinem quisquis audit, ex jam peroratis capiet facile, eam sonare omnem, qui a perfecte sano recedit, corpo-

ris humani ſtatum, ita, ut ubique, ſic rectum hic obliqui & ſui index.

Manifeſtatur morbus, dum aliquam actionem laedit, dum functionem vitae vel voluntati inſervientem reddit deter orum vel peſſumdat. Qualiscunque vero fuerit, facillime conſtat, eum vel vaſorum, vel liquorum, vel utrorumque ſimul, ſequi laeſionem.

Vaſa laedit, niſi vel quod externa vi in horum compagem irruit, vel inteſtini hoſtis inſtar, eorum fabricae inſidias ſtruit.

Externa contemplanti ſubit animum cogitatio liquidi, in quo movemur, aërem volo, nos tegentem, arctantem, atque undequaque circumambientem, cujus inſpirata vivimus aura, cujus ſuavi fructu, ne momento ſine ſalutis, ſine vitae diſcrimine, caremus. Quam arcto ei alligamur vinculo! quanta eidem neceſſitudine nosmet devinctos experimur! ab eo, ejusque indole varia, maximus morborum numerus, vel ſalubritatis integritas, oritur.

Cogitate, illum luxuriari infinitis effluviis ſolis, aſtrorum, ignisque ſubterranei ex terra eductis, quae variam ſequuntur matris naturam, quantam morborum

videtis originem! ſpectate venas metallicas, fumos minerales, ſtrata ſulphurea, halitus tetros, ingenium ſui loci referentes, aquarum cocytia ſtagna, hominis aetas exigetur, ut obſerventur tot cauſae in uno aëre tam diverſarum aegritudinum.

Sed & ejusdem variae mutationes, pro cœli temperie, anni tempeſtate, corporum cœleſtium benignis vel peſtilentium afflatibus, denique ventorum, neglectae fere poſt Hippocratem, hiſtoriae diligenter notandae ſunt, ut omnium effecta in plantas, in animalia, in nos, ſedulo obſervemus; quaeque mutationes liquoribus iſtis inducuntur, qui noſtris cognati ſunt, per quos nosmet ipſi ſuſtinemus.

Quibus cognitis, facile animadvertitur ejusdem ſalubris benignum, exitioſi in nos lethale imperium, neque ratio deërit, qua partium acredine tenerrima noſtrae compagis ſtamina diffrangat, quaque vi, laedendo & penetrando vaſa, intimis lymphis permiſtus, harum harmoniam interturbat. Atque rurſus mali originis gnarum medelae non fugit cognitio.

Huic ergo ſtudio incumbendum! Huic ſcientiae aſſidua impendenda opera! palam ajo, omnia ſimul humanae vitae ob-

via tantum non creant eidem noxium, ac aër: neque & contra, tantum salutis vel longaevitatis adferre valent, quam ille idem.

Cernite tot gentes, sine ulla medica cognitione, sine ullo vel bonae diaetae regimine sanam, eamque vegetam in multos annos, producere vitam sine morborum incommodis. Cernite tot moratos populos aegritudinum torminibus oppressos, licet nihil columitatis integrae servandae omittant, & habebitis originem medelamque gravissimorum morborum.

At praeter aërem omnia fere corpora externa rumpere quandoque villos vasorum, vel debitum horum situm mutare possunt. Habita vero ratione quae requiritur in Anatomicis Mechanicisque, non multum haerebitur in restitutione ea, quae manu, machinis, vel simplicissimis proinde adhibitis medicaminibus, perficitur: adeoque Chirurgi officia, tam necessaria Medico, ut artis nostrae primordia in his modo versarentur, sponte patent.

Atque ea summa sunt capita Medico necessaria ad scientiam & medelam eorum morborum, qui sine interni veneni viru, externo impetu, corpus infesti petunt.

Sed quam sermonis exordio querebar materiae copiam, nunc demum vere experior, multa dixi, supersunt plura! Licet etenim vasa, liquores, & ipsa in nobis mens salva, tamen, nisi quotidie restituamur in integrum, paucis diebus actum est de pulcherrima hac machina.

Vita nostra motu, hic vasorum attritu atque liquidorum exhalatione perficitur, continua peregrini assumtione recreanda atque instauranda: & quidem cum internae amicitiae lege vitalibus nostris principiis pabulum, vitam & perennitatem, conciliant cibus & potus, intimum nexum videtis, quo vita & salus ab his dependet; concipitis, copia horum & natura, quocunque errore peccantes, quas calamitates vasis, quas alterationes humoribus, creant!

Quam latus hic denuo patet campus, in quo mens, Medicinae faciundae sacrata, decurrat. Alimentorum non modo illa naturam & effecta, sed & eorumdem simul praeparationes & condimenta indaget, non ut Apitiorum & Lucullorum instar, horum suavi varietate satiatum stomachum fallat, sed ut haec solum in sui domicilii sustentaculum admittat, quae ratio & usus profutura dictant.

Facilis haec uni muliebri demandanda videbitur quibusdam curae provincia, viris vix ſine riſu committenda: Sed obſervent hi, velim, eruditiſſimo cuique incumbere examen illorum, per quae vivit: nequaquam ergo infra dignitatem humanae ſapientiae ea, a quibus ſumma dependemus neceſſitudine: ſciant, Medicos ſaepe plus laborare, ut utiles aegris cibos, quam medicamenta, praeſcribant, neque facilius ſanari, niſi per ea, quorum uſus gratus familiariſque nobis eſt. Tandem non lateat illos, prudentiſſimos Italorum Medicos huic Medicinae primas deferre & ultimas, quorum tamen clientes aquilina ſenecta fere alias Europae gentes ſuperant, quarum cuſtodes, diaetam vilipendentes, unice pharmacis ſtudent. Quibus perpenſis, aſſentientur facile, ad conſtituendam hanc artem, neceſſitudinem exactae alimentorum hiſtoriae, quorum in corpus humanum bona & mala effecta. Quanta autem inde praemia hos inveſtigatores manent, ſuo docuit exemplo, qui ſine honoris praefatione vix unquam nominandus, Sanctorius a Sanctorio Patavinus, ſcholae, ſui ſeculi, & Medici chori decus! docuit idem nobiliſſimae inter Ve-

netos familiae caput & honor Cornarius! Celeberrimum Italorum par! quorum praaeceptis & molestissimis experimentis debetur fundamentum illius, quidquid in hac Medicinae scientiae parte solidi habemus hactenus.

Habetis O. O. A. H. ea, quae vitae sunt consueta sustentacula, audivistis illa, quae aegritudinum plurimarum origo, sed alia restat morborum lerna, venenorum rabida cohors sensibili vi corpus humanum laedens, ut lethum sequatur, quae in fossilium familia virus suum spargunt! in vegetabilium gente occidunt! a spirantibus oriuntur! in his omnibus nosci debent, si poterunt vitari, non modo dixerim, dotes, sed & in nobiles usus converti.

Discite, & in suas redigite classes, aconita, napellos, œnanthes, stramonia, laureolos, taxos, elleboros, ranunculos, cicutas, solana, tagetes, cataputias & infinita alia; horum indoles omni via eruite, si eorum succos aëri, aquae chemicis liquoribus, salibus diversis, permiscetis, quid de eorum facie, actione atque efficacia amiserunt, notabitis: eadem humoribus animalium, secundum acuti observatoris mentem, permista, vel ve-

nis infusa, historiae toxicorum materiem dabunt aptam.

In animalibus, fateor, longe tœdiosior se offert molestia inveniendi ea, quae nobis tanta vehementia, tanta velocitate, lethalia deprehenduntur. Quantula saepe copia solvitur humana vita! Viperae morsus, scorpionum ictus, hydrophobi canis dens, quam paruis veneni spiculis mortem intentant praesentem! periculum contagio plenum auget inquisitionis difficultatem, auget, quod mortuo venenato animali pereat plerumque toxica vis: adeo ut, si usquam, leni utendum sit omni auxilio, quo vegetantium rabiem perquiri & domari, visum est.

Quo me rapit conversio eorum, quae terris effossa, metallorum & minerarum prosapia, vitam petunt: arsenica utraque, cobalta, sulphura, stibia, argenta viva, cupra, plumba, & quas, damnosa saepe magistris, ars ex vitriolis & salibus aliisque elicit volantes & in venenatas pluvias recollectas, nubes, tum, quae priorum cum posterioribus copula nascuntur, Libutinae arma. Haec, inquam, si enarrare, distinguere, superare aggrederer, quantum opus, quanti incumberent labores! Atque haec quidem non alias,

quam in Vulcani officina addiſcere datur, ubi aperta via patet horum fabrica, actio, & victoria.

Et tamen fateri neceſſe eſt, incumbere praeter haec fatalem mortis neceſſitatem, qua ſine ulla vi peregrina ſenſim collapſa poteſtas vitalis torpet, qua attrita organa fatiſcunt, & nutritus diu vitalis ſpiritus, tandem defatigatus, deficit, qua perit tam quieta morte via, non hoſtium vi adverſa, ſed ſui leni inopia. Atque hanc ſolam, ſi optio daretur, eligere quemque ſibi, quis dubitat?

Demonſtravi, ni fallor, O. O. A. H. ſemitam, quae ducit in cognitionem ſanitatis, morborum, & in utrorumque cauſas: ſed & eadem opera patebit certus aditus in templum ſalutis.

Qui ortum, cauſam, ſedem, indolem mali novit, remedii vix deſtituetur ſcientia; ubi etenim noſcit ſupervacanei exceſſum, & neceſſarii defectum, unius fuga alterius ope ſanabit utrumque, quod quidem ut aſſequatur, indaganda erunt ea, quae herbae, quae animalia, & minerae offerunt medicata virtute donata: dum enim ex hac tricorpori umbra * plurimus morbus exſurgit, ex eadem auxilia petenda erunt. (* *ad mentem* PLAUTI *dictum.*)

Vivimus maxime ex illis, quae benigna tellus in noſtrum cibum ſuppeditat. Utinam ea iisdem uteremur ſimplicitate, qua nobis ab alma hac matre porriguntur! Cogitate tot arbores, tam vario, tam liberali ſucco turgidas: Inſpicite tot fruticum exercitus multiplici virtute divites: Cernite tot herbarum millia, quarum ſingulae diverſo, eoque medicato, pollent cruore. Quid memorem tot odorata nemora, tot balſami ſylvas, quae ſolo, quem ſpirant, odore vitalem ſpiritum recreant, quae formae venuſtate, ſaporis ſuavitate, odoris fragrantia, ſe nobis commendant?

Quod ſi vetuſtiſſima Medicinae primordia evolvitis, herbarum vis medicatrix ſola laudatur, ſi principes Medicorum conſulitis, hi herbarum uſus ingeminabunt. Aeſculapios, Podalirios, Machaonas, Chirones, Pythagoras, Democritos, Hippocrates, Herophilos, Eraſiſtratos, Aſclepiadas, Galenos, quid reddidit factis celebres, fama immortales? Herbarum cognitio & applicatio. Quid priſci aevi homines ad longam produxit aetatem, quid ipſam vitam his praeſtitit incolumem? uſus herbarum. Quid hoc ipſo ſeculo inter ea, quibus gloriatur Pharmacia, praecipua auxilia praeſtat? Herbarum genus.

Quae tam clara ſunt, ut ne ipſe quidem Chemicorum princeps Paracelſus, atque ejusdem politor Helmontius, dubitaverint, quin ſolis herbis omnes morbi profligari poſſent.

Harum igitur nobis incumbit virtutum indagatio, ubi autem nativas illarum dotes exaltare eſt animus, arte ſpagyrica in ſua principia ſunt reſolvenda, ut ſejuncta mole ignava & fœculenta, liberata inerti pondere, ſpiritus rectores, balſami, ſales, depurentur, atque ita demum ſuavi arte inter ſe juncta prima viſcera ingreſſa, inde ad intima usque vitae penetralia permeënt; ubi deterſis ſordibus, liquefacta venarum amurca, expulſo maligno tabo, ſpiritum vitalem roborant.

At praeter ea, quae tellus vegetando producit, animalia in uſus Medicos jam ante multa ſecula a Phœbi ſacerdotibus adhibita, docet antiquitas. Id demonſtrant Dioſcoridis praeclara ſcripta, Mithridatis egregium antidoton, Damocritis, vel hinc denominata, Theriaca.

Et profecto quisquis exacte rationem ſubduxerit, haud dubito, quin, perpenſa homines inter & alia animalia ratione, habita corporis ſimilitudine, judicaturus ſit, ex his omnia poſſe haberi proſperae

valetudinis auxilia, adverſae praeſidia. Ubi etenim propior ſalutis quaerenda origo, quam in iis, quae eadem fruuntur? quibusnam felicius conſervatur, quam ex quibus conſiſtit? Unde defectus melius ſupplentur, niſi ex iis, ubi exceſſus adeſt & abundat? Mala quomodo magis abacturus es, quam bonis?

Dies me deficeret, & obrueret dicendorum materia, ſi vel ſumma vellem indicare capita, quaenam ex foſſilium proſapia nobis ars Hermetica praeparat. Senſit imbecillitati ſuae auxilium debile corpus a medicatis fontibus, minerarum venis, & ſalutiferis undis metallicis; acceſſit ars Vulcania, haec beneficia igne ſimulando, atque tandem ſedula induſtria ſuperando, quibus expugnabat, qui ab herbis, nec viventibus, medelam capiebant, morbos. Id evincit epitaphium Paracelſo exſtructum, Auctorum cum eo viventium teſtimonium, & paucorum, quae ejus beneficio novimus, efficacia.

Atque ita perfunctorie diſſerui de his, quae Medicum fingunt & exornant. Horum quidem, quo plura quis perfectiora poſſederit, eo etiam digniori praeconio inter vitae humanae gubernatores adſciſcetur.

Cum vero ea aetatis brevitas, ingenii imbecillitas, rerum ipſarum difficultas ſit & copia, extra ſocietatem haec in homine fruſtra quaeres. Sed ubi, diſtributo Viris ſolertiſſimis penſo, quisque gnaviter incumbit, inventa ſine fuco exarata, ſine invidia alteri largitur, ibidem pulchre cum mortalibus eſt comparatum. Quibus ubi juſta rerum geſtarum aeſtimatio acceſſit, ubi reipublicae litterariae conſtituendae Proceres generoſa liberalitate atque laudatione inſtructiſſima ingenia remunerantur, fovent, & ad ulteriora excitant, ibi demum felicitati humanae janua pandatur, neceſſe eſt.

Horum omnium rite gnarus immortalis PETRUS MAGNUS, cum ex artium atque ſcientiarum pulcherrimis, quas ſola diſcendi cupidine exteras inviſerat, nobiliſſimas & utiliſſimas ſecum duxerat, atque easdem in Patria florentibus adjunxerat, de adunatis his ſtabiliendis, colendis, atque ulterius promovendis, ſollicitus, ad formam aliarum, quas penitus perſpexerat, Academiam noſtram fundavit, atque eandem iis liberaliſſime inſtruxit adminiculis, quae ad incrementum & hujus emolumentum maxime contribuere, noſcebat.

Felix

Felix tunc faustaque Tibi mutata rerum facies, invicta Russia! quae cum optimis indigenis possides pulcherrima externa tali a Censore electa, quem nunquam rerum species fefellit, qui non a cortice res, sed intime perspectas demum probavit, atque in Sui, in Civium, in Patriae bonum adoptavit, nihil tam altum ratus, quod non peteret; nihil arduum, quod non superaret, sed & nihil tam humile judicans, quod sperneret, nihil tam vile, quod abjiceret, oculos non modo, sed & sacras ipse manus operi admovens, dummodo laborum inde pretium speraret! Utque exempla plus, quam mille adhortationes mores componunt, ad Patris normam se totam formavit Patria. Hinc vidistis ex limo & palude, ubi sterile prius lolium ventis movebatur ludibrium, praeëunte, adhortante, & laborum tolerantia omnes subditos superante PETRO MAGNO, DEI aurata exsurgere templa, atque plus quam regia aedificia novas condere urbes, & quidem hoc in ipso hostium infestantium conspectu, inter belli rumores, inter armorum strepitus, tantillo temporis spatio, ut fidem vix artis & Herculei laboris portento datura sit

tarde ſemper credula poſteritas. Hinc ubi alga natabat & muſcus, jam faciles panduntur portus. Inde exſtructae numeroſae claſſes, inde ad nutum movendi compoſiti exercitus, intus praebent praeſidium & decus, extus formidinem imprimunt & metum hoſtibus. Inde ſine civium incommodo reditus publici aucti, belli; inde cum remotiſſimis gentibus haud interruptum commercium, pacis & mercaturae nervus. Hinc denique artium, diſciplinarum, & bonarum litterarum vera & ſolida cultura. Hinc tandem omnia haec juſtiſſimis fundata legibus, exoptatiſſimis ornata immunitatibus, jure & privilegiis!

Relicto ſolio, civium & hoſtium mixta clade imperii limites extendant rerum Domini: patriae fines egreſſi remotiſſimos ſub jugum ducant populos, ipſo nomine tremendos barbaros debellent, atque ita toto penitus orbe diviſarum gentium curam augendo, harum vitia civibus ſuis intermiſceant: devicto tandem orbe, in alias ſibi terras aditum interclusum, doleant tropaeis ſuperbi! PETRUS ALEXIEWITZ in bello magnus, in pace major, ideo ampliſſimo ſuo Imperio

pro tempore valedixit, ideo itinera ſuſcepit, ideo maria pararavit, terras iviſit, ideo vitae pericula ſubiit, naufragia fecit, ideo incommoda & mille labores conſtans pertulit, ideo ſudavit & alſit, ut incruenta victoria redux imbelles Muſas, ſinu receptas, Tibi, invicta Ruſſia, traderet ulterius fovendas! atque ita maluit artibus, diſciplinis & bonis litteris, inſtructam atque formatam regere & moderare gentem optimus Pater, quam, quod longe fuiſſet conſequi facilius, debellatis imperare ſuperbus Dominus.

Nec fefellit exſpectationem rerum eventus: vidit enim laetus ſupra humani laboris increſcere fructus, maturiores agendo indefeſſus exſpectans!

Sed vana hominum ſpes! & cœca mortalium gaudia! vix horum guſtaverat primordia, cum vita longiori digniſſimum Patriae ereptum Patrem reduxit in cœlum praematura mors!

Ad hunc caſum ut univerſa contremuit Europa; Ruſſia prae infando dolore atque acerbiſſimo mœrore obmutuit, ita Academiae fundamenta fuere concuſſa!

Habuere autem cum caeteris inde non

mediocre solatium tristitiae suae Musae, quod Parente orbatis Mater superesset. CATHARINA tori, virtutum, consiliorum & imperii Socia, ut animo supra sexum elata, vestigiis PETRI MAGNI insistens, quidquid Hic praeclarum in commodum sui populi constituerat, imitata, ulterius fovebat, perficiebat, absolvebat, ita artes, scientias & bonas literas, harum ipsa dulcedine capta, protexit & auxit, atque Academiae primordia ad culmen evexit. Quales vero fructus inde perceperit Imperium non modo, verum & universae Europae literarum respublica, tot exhibent laeti Alumni, tot docent, quae cunctis in manibus sunt, sapientiae humanae monumenta.

Seriem temporum atque in ea Academiae nostrae progressum & fata non attingam. Unicum tamen praeterire non possum. Cum justissima sua haerede orbum vastissimum Imperium in diem salutaria videbat negligi Formatorum suorum instituta, cum de ancipiti rerum eventu maxime sollicitae forent optimorum civium animae, quo demum temporis articulo inermes Musae fere exulare cogerentur proscriptae, ELISABETA PETRI

MAGNI & CATHARINAE MAGNANIMAE Filia, utriusque Parentis virtutum haeres, minus regnandi, quam cives ſuos liberandi cupidine, ſola Divina providentia freta, DEI juſſu, atque gementis populi ſuſpiriis excitata, ſolium Parentum, ſe ſola dignum, adſcendit, atque ereptum diadema ſibi impoſuit, congratulante & exultante tota Europa, applaudente rerum univerſo, in gaudia & laetitias penitus effuſo liberato Imperio.

Felix tum fauſtaque iterum Tibi mutata rerum facies, Invicta Ruſſia! vix Imperatricem, vix Matrem ſalutaſti ELISABETAM PRIMAM, quin in hac, & per hanc, ſenſiſti regnandi ordinem PETRI MAGNI ſanguini redditum, ſenſiſti ſtatum Imperii in priſtinam formam mutari, gloriam Tuam recuperari non modo, ſed & augeri, religionem ſincere excoli, leges atque immunitates neglectas renovari, publicam ſecuritatem firmari, vires Imperii augeri, pacem in damnum hoſtium Tibi, toti reddi Septentrioni! Tandem Divi utriusque Parentis veſtigiis inſiſtens clementiſſima AUGUSTA, imbelles amplexa Muſas, ſinu fovens liberales artes & optimas ſcientias, labantem Aca-

demiam ſuſtinuit, atque eandem non modo priſtino nitori reſtituit, at vero munificentia & liberalitate apud exteros inaudita ad ſummum honoris faſtigium promovit, Praeſidem inſuper largita, quo duce, quo auſpice nihil huic non ſperandum, quo ſalvo non modo haec ſalva futura ſit, ſed & in diem aucta!

Jure ergo, meritoque ſua gaudia publice oſtendit, atque diem caeterum non ignobilem ſolemni ritu celebrat, qui ideo caput prae aliis extollit, qui ideo fauſtiore luce redit, quod nominis ſymbolum det ELISABETÆ omnium Ruſſorum Imperatrici atque Autocratori, Europae totiusque orbis terrarum Amori, gentium Deliciis, Populi Tutelae, Imperii Decori, Religionis columnae, Civium Matri, Legum & Æquitatis Vindici, Muſarum dulci Praeſidio!

Quam vellem ea mihi foret dicendi vis & facultas, ut ſingula & cuncta pro dignitate exſequi valerem! ſive heroicam virtutem, qua ſuae non modo aetatis, ſed & priſcorum ſeculorum ſexum antecellit, ſive in DEUM ſinceram pietatem & religionem, ſive magnanimitatem, qua exteros, aeque quam domeſticos, hoſtes vi-

cit, ſive clementiam inauditam, qua neminem, vel nocentiſſimum, privatum vult, ſive in ſubditos amorem, in infelices miſericordiam admiramur; ſive liberalitatem, qua bene merentes recipit; ſive indulgentiam, qua verum DEUM cuique ſuo ritu colere permittit; ſive tandem in bonas artes, diſciplinas, & ſcientias amorem reſpiciamus, ſeu denique maternam & anxiam curam honoramus, qua haec omnia, in ſe, ſub ſe, & per ſe redintegrata atque aucta ita ſtabilivit, ita firmavit, ut omnis ruinae metus abſit, deſignato Imperii & virtutum ſuarum a Se & per Se formato haerede PETRI MAGNI Nepote, eoque cum dulciſſima Conjuge juncto. Quanta dicendi copia & ubertas! quanta encomia celebrandi inexhauſta materies! cui interim, quam memet, ipſe neminem magis agnoſco imparem. Haec ergo altioribus laudanda ingeniis, haec diſertis magis extollenda relinquens oratoribus, unice in pietatis officia ſincero animi candore, atque corde pleno, erumpo.

Vive, O ELISABETA! Imperio Tuo Imperatrix Auguſtiſſima! Genti Tuae Mater benigniſſima! Sera in cœlum re-

dux mireris insueti limen Olympi! dumque ad crudam vegetamque senectutem tot laborum, tantarum curarum fructus laeta percipis, pacatae nuperrime Tuo consilio, Tua manu, Europae.

Christicolas pax tuta liget, vis omnis abesto!
Quisque DEUM gaudens & Tua jussa colat!
Sospite TE nobis, hilaret modo mascula proles
Caesareos Lares Holsatiasque Domus!

Haec mecum omnes boni supplices nuncupamus vota! Fautor his adsis Venerandum NUMEN!

Converto me ad Vos, Viri clarissimi, Collegae conjunctissimi: cum Vestrum est exponere sententiam de iis quae unicuique nostrum perorata sunt, suffragium exspecto, erit benevolum hoc operae pretium testimonium, Vobis arte atque eruditione principibus placuisse Viris, caeterum superest emendandi facultas.



JUSSU

ILLUSTRISSIMI

ACADEMIÆ SCIENTIARUM

PRÆSIDIS

ET

NOMINE ACADEMICORUM

AD

ABR. KAAU BOERHAAVE

SERMONEM

PAUCIS RESPONDET

JO. CHRISTIANUS HEBENSTREIT.

De rerum ſalubrium & valetudini adverſarum ſcientia, qua ſanitas hominis, vel conſervatur, vel reſtituitur, & quam medicinam vocamus, deque variis, divinam hanc artem noſtra aetate, & ornantibus, & perficientibus, ornate eleganterque diſſerenten audivimus medicum. Ars ſalutaris, ſicut omnium rerum prima initia valde tenuia eſſe ſolent, paucarum quondam fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paullatim, quae deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem, non minus quam caeterae artes, quarum in proceſſu ſubtilitas crevit. Vitam, qua nihil carius mortalibus, quam diutiſſime fieri poſſet, conſervare ſanam, & imminentes corpori avertere morbos, cauſſa fuit jam olim, ut viri ſapientes, quum primum litterarum diſciplinas, animo recreando aptas, tractarent, corpusque his ipſis ſtudiis langueſcere cognoſcerent: ſtatim his obrepentibus malis obviam ire variis artis praeſidiis in animum induxerint. Exculta eſt itaque apud Graecos rationalis, una cum bonis litteris, medicina. Teſtem produco Celſum, praeſtantiſſimum Romanorum medicum, in praefatione ſcribentem:
„ primoque medendi ſcientia ſapientiae pars habe-
„ batur, ut & morborum curatio & rerum natu-
„ rae contemplatio ſub iisdem auctoribus nata ſit,
„ ſcilicet his hanc maxime requirentibus, qui cor-
„ porum ſuorum robora inquieta cogitatione noc-
„ turnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex
„ ſapientiae profeſſoribus peritos ejus fuiſſe accepi-
„ mus; clariſſimus vero ex his Pythagoram, &
„ Empedoclem, & Democritum. Tum Hippocrates, medicinae Graecorum inſtaurator, ſolidiori philoſophiae & curioſae rerum naturalium contemplationi addictus, in diſſecandis animalium & hominum corporibus exercitatus, cognitione phar-

macorum inſtructus, rationalem & experientia comprobatam fundavit medicinam. Hunc aeque magnum fuiſſe philoſophum ac medicum, probant ejus ſcripta & in his variae, de philoſophis ſui aevi ſententiae praeſertim dictum ejus excellens, ubi medicum, philoſophia inſtructum, Deo ſimilem praedicat. Et quis umquam medicorum poſt illius tempora exſtitit, fama & eruditione celebris, qui philoſophia rationali, phyſica, tam theoretica, quam experimentali, & mathematicis diſciplinis, ad perficiendam ſcientiam medicam adhibitis, non inſtructus fuerit? Experientiſſimus hujus ſermonis academici auctor, ex celeberrima Aſclepiadea Batavorum gente ortus, ex ſententia doctiſſimorum Collegarum, laudem genuini meretur medici, quia copioſe & erudite expoſuit omnium diſciplinarum genera, quarum ope, & medicina recte docetur, & cum artis gloria & aegrotorum ſalute exercetur. Laederem ſane ejus verecundiam, ſi uberior eſſem in enumerandis egregiis meritis, quibus adhuc ſibi famam comparavit. Paucis complectar ejus vitutes & hunc conjunctiſſimum collegam, virum honeſtum, bonum, non honoris aut gloriae, ſed veritatis amatorem compellabo.

Hic dies, qui nobis fauſto illuxit ſidere & cui Divae Eliſabetae in faſtis nomen religio majorum impoſuit, ſacer & nobis eſto: reducit enim ELISABETÆ, AUGUSTÆ, Ruſſorum Autocratoris nominis memoriam, ſolemni ritu celebrandam. Is ergo omnibus, pacatiſſimum & florentisſimum Ruſſiae Imperium incolentibus, gratulationis laetitiaeque argumentum ſuppeditat, hoc die ardentiſſimas & ſupplices, prout id quotidie fieri ſolet, fundendi precationes piaque vota pro ſalute AUGUSTÆ ſumma cum alacritate nuncupandi. Hinc inter tot vota, pro incolumitate AUGUSTÆ

concepta, Academia Scientiarum, quae ab Imperatrice invictiſſima ingentibus condecorata & exornata eſt beneficiis praeſtantiſſimisque inſtructa eruditionis praeſidiis, quo in dies fieret illuſtrior auguſtiorque, nemini ullo modo cedere; ſed quantum fieri potuit, debita religione & laetitia exſultanta ſacratum Tanto Nomini hunc diem, devoto ritu celebrare ſubmiſſionis munus & officium eſſe putavit. Veniam a Vobis, A. O. O. H. me impetraturum ſpero. ſi & vota publica & gaudia, pro incolumitate AUGUSTÆ hodie nuncupanda, non exquiſitis, prout fieri poſſe optarem, precationibus, ſed ſollemni hac formula, qua olim Imperatores Romanos ſollemnibus diebus proſequebantur chriſtiani, divinae providentiae commendo, quam antiſtitum rei chriſtianae non nemo notatam reliquit: ut Deus illis det vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum & quaecumque hominis & Caeſaris vota eſſent. Seruet divinum numen Sereniſſimum Magnum Ducem & Imperii Ruſſici Heredem, ſpem patriae & provinciarum, una cum Celſiſſima Conjuge, gentis Ruſſorum delicio & amore in ſeros uſque annos, ut aliquando per EOS & poſteri felices ſint, ſicut TUO, IMPERATRIX, imperio, ſalvi nos praeſentes ſumus. Servet Deus omnem regiminis felicitatem. fortunam provinciarum. firmam Academiae noſtrae ſalutem, auſpiciis Caeſarum conditae & eximia ELISABETÆ clementia in majus meliusque profectae, ornatae atque amplificatae, & quod nihil reſtat addendum, adde quaeſumus, bone Deus, praeſentis hujus ſplendoris perpetuitatem.



Imprimebatur In Officina Kürsneriana.

